PRIMA DIOECESANA

# SYNODUS MONTIS VIRGINIS

*Ab Illustriss., & Reverendiss. in Christo Patre, & Domino*

## D. GALLO GALLUCIO

AB ATRIPALTO

Abbate Generali Benedictinę Congregationis Montis Virginis, & Ordinario ejusdem Dioecesis,

*Celebrata in majori Archipresbyterali Ecclesia Terrę Mercuriani sub titulo Divi Petri, die XXIX. Junii Anno Domini MDCCXVII.*






Beneventi, ex Typographia Archiep. supradicto Anno


*Superiorum licentia.*



# D. GALLUS GALLUCCI

Dei, & S. Sedis Apoſtolicæ gratia humilis Abbas Generalis Benedictinæ Congregationis Montis Virginis, ac Diœceſis Sacri, & Regalis Monaſterii Montis Virginis majoris Ordinarius, Nullius, &c.

## UNIVERSO CLERO, ET POPULO NOBIS COMMISSO; SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.



*Ecclesiaſticarum Rerum, quæ identidem Sacri Cenſoris animadverſione indigent, Neglectio; & ſi multis oriri poſſit ex Cauſis, cum primis tamèn (ut Chalcedonenſis Concilii Patres, cæterique Eccleſiæ Doctores atteſtantur) ex Synodorum infrequentia proficiſcitur. Cum enim ea ſit hominum Indoles, ut quilibet impenſiori cura privatis, quàm communibus Rebus proſpiciat; neceſſum eſt, ut ſubinde Communes Procerum habeantur Conventus, quibus commune Bonum curæ ſit: Alioquin Chriſtiana Reſpublica in dies ruat in pejus, ac tandem peſſum eat oportet. Hac de cauſa Sacroſancta Synodus Tridentina ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 2. ſaluberrimè mandat, ut Metropolitani quolibet ſaltem triennio Provincialia Concilia; Epiſcopi verò ſingulis annis Diœceſanas Synodos pro moderandis Moribus, corrigendis Exceſſibus, Controverſiis componendis, cogere non omittant. Man-*

 dato

*dato addit & minas: subjungit enim eodem loco: Quod si his tam Metropolitani, quàm Episcopi negligentes extiterint, pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrent. Quamobrem Nos, ut tritum à cæteris Prælatis iniremus Iter, ac Sacrosancti Concilii Tridentini Vestigiis insisteremus; cum primùm ad Nostræ Congregationis Clavum, hujusque Diœceseos Regimen evecti fuerimus; statim totam nostram Ditionem altiori è Speculo circumspicientes, eò potissimùm nostræ mentis obtutum defiximus; ut Diœcesanam Synodum, pro Divinæ Gloriæ amplificatione, pro nostrorum Subditorum Salute, proque nostri Officii ratione cogeremus. Nostris votis præsenti Ope adfuit Deus; conatusque nostros ad præmeditatum Scopum tam feliciter direxit, ut res omni ex parte, ex Voto successerit. Nam die 20. Junii proximè elapsi, communia Totius Cleri Comitia habita sunt; in quibus non pauca Statuta ad Ecclesiasticæ Disciplinæ Reformationem aptissima, Vobis præsentibus, & annuentibus lata sunt, & promulgata. Veruntamen ne, quæ in præfata Synodo sunt optimè constituta, temporis diuturnitate ex memoria exciderent; ea publicis literarum Monumentis consignanda, atque in unum colligenda curavimus libellum, quem, nostræ Dilectionis pignus, Curæq; Pastoralis Argumentum, Vobis in præsentia offerimus: ut quidquid in eo contineatur, non oculis tantùm perlustretis, sed animo etiam recolatis; ac tandem operibus ipsis, ut par est, comprobetis. Sedulò animadvertite, ac diligentèr perpendite, Synodales hasce Constitutiones medelas esse, non Venena; Monilia, non Vincula; Calcaria, non Jacula: A Nobis enim Vobis omnibus exhibentur, non ut à Domino contumacibus Servis, sed ut à Parente Filiis carissimis; adeòque non ut obsint, sed Prosint; non ut onerent, sed Ornent, non ut impellant, sanciant, vulnerent; sed ut compellant, excitent, admoneant.*

*Eas,*

*Eas, igitur, ut Filios decet, libenti animo suscipite, intenta mente percurrite, exactaque Observantia exequimini. Ut tandem cum suo Grege Pastor, Nos scilicet Vobiscum, devitatis hujus Saculi Syrtibus, declinatis Scopulis, superatis fluctibus, ad Æternæ Beatitudinis Portum feliciter pertingamus. Interim Deus Solatii repleat vos omni gaudio, & pace, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti, &c.*

# DECRETA

## DE PRÆSENTIS SYNODI INCHOATIONE.

De modo vivendi in Synodo, de Examinatoribus, Judicibus, & cœteris Ministris Synodalibus, de Præjudicio non afferendo, de non discedendo, de Oratione publica, & reliquis hujusmodi, habentur in Actis, quæ in Abbatiali Cancellaria servantur una cum ordine, & methodo quarumvis Actionum, in ipso Synodali consessu habitarum.

### CAP. I.

*De Catholica Fide tuenda, ejusque Professione, & Doctrina Christiana.*

1. QUamvis ad Fidem suscipiendam Nemo ullus sit cogendus; (a) eam tamèn susceptam adeò unusquisque servare tenetur; ut per severitatem (b) imò, & per misericordiam Dei tribulationum flagellis soleat perfidia castigari: Ideò quicumque a Catholica Fide alieni, aut quocumque titulo suspe-

a *cap. qui sincera dist. 45.* b *c. ad fidem 23. q. 5.*

suspecti, Striges, Venefici, Sortilegi, aliique hujusmodi damnatis artibus dediti; necnon ii, qui Hæreticorum libros, vel hæresim continentes, aut alios (ut in librorum Indice prohibitorũ) legere, sivè apud se retinere præsumpserint, pœnam excommunicationis latæ sententiæ incurrant. Nobisque denuncientur, ut in eos, juxtà Apostolicas Constitutiones, præcipuè Sixti Papę V. animadvertere possimus.

2. Fidem autem corde firmitèr tenenti, & operibus comprobanti, accedere debet oris confessio (a); corde enim creditur ad justitiam; ore autèm confessio fit ad salutem. Ad illius itaque externam professionem semper, quamvis non ad semper, omnes quidem Fideles tenentur; sed speciali titulo eorum nonnulli, nempè provisi de quibuscumque dignitatibus, & beneficiis cum cura, & sine, in hac nostra Diœcesi; itèque Fiscalis, Procurator fiscalis, & Cancellarius nostræ Abbatialis Curiæ; insuper Confessarii, Concionatores, & publicè docentes, vel privatim Theologiam, Philosophiam, Juriscivilis, aut Canonici prudentiam, aut quascumque inferiores disciplinas, etiam Grammaticam, humaniores literas. Hi omnes in præsenti Synodo, Fidei professionem in manibus nostris, sivè nostri Vicarii Generalis sub pœnis nobis arbitrariis, ultrà illas sacris statutis contentas, si adhuc non emiserint, emittant. Providendi autem in posterum idem faciant sub iisdem pœnis intrà duos menses a die adeptæ possessionis. Formula verò Fidei professionis ea erit, quæ traditur in Bulla S. M. Pii V. quæ incipit: *Injunctum Nobis &c.* quamque Nos in Appendice Synodi hujus præfigemus.

3. Cum autem Fides ipsa Catholica minimè servari valeat, nisi priùs, saltem quoad articulos magis necessarios, noscatur, & addiscatur; sciant Parochi, cæteriq; animarum curam gerentes, sui muneris esse, aliquibus potũ, aliquibus escā dare: Lactis exhibitio erit, tam pueros, quàm adultos utriusque sexus Fidei rudimenta docere. Hac de causa ipsis præcipimus, ut non solùm Dominicis diebus, verùm etiam omnibus festis de præcepto, una saltèm horà post prandium, pueros, a circumeuntibus Clericis campanulæ sono convocatos, doceant in suis Ecclesiis Parochialibus Doctrinam Christianam ex Breviario Clarissimæ memoriæ Cardinalis Bellarmini libello; quo excepto, omnem aliam docendi methodum proscribimus; ut unius Fidei, una eademque docendi regula habeatur. Et quia quamplurimi etiam ætate provecti eadem rudimenta.

a *Ad Rom.* 10.

menta, vel prorſus ignorant, vel diſcere erubeſcunt; mandamus, ut iiſdem in Dominicis, feſtiviſque diebus, omnes animarum Rectores hujus noſtræ Diœceſis, poſt Evangelium inter Miſſarum ſolemnia, ad Populum converſi, alta voce, & cum ea modulatione (quam per ſa, re, Scholares appellant) materno idiomate, juxtà Epiſtolam enciclycam Sac. Cong. Conc 19. Jan. 1619. univerſo populo reſpondente, recitent, ſignum Sanctæ Crucis, Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apoſtolorum Symbolum, Decem præcepta Decalogi, quinque Eccleſiæ præcepta, ſeptem Sacramenta, & aliquem brevem contritionis actum. Eſcæ verò prærbitio per eoſdem animarum Rectores erit, Evangelium ſibi creditis Fidelibus, ſingulis ſaltem Dominicis diebus, explanare una cum prædictis omnibus, Fidem primò tangentibus; memores quod ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus incumbere tenentur. Quod ſi ſecùs fecerint, pœnam carolenorum quinque pro qualibet vice dabunt.

## C A P. II.

### *De Blaſphemis, & Imprecantibus.*

1. INgratiſſimi cenſendi ſunt, qui in Cœlum os ſuum ponere non formidant; unde extra caſtra, & hominum habitacula, ſacro dictante eloquio (*a*) educendi ſunt Blaſphemi, quorum nequitia tanta eſt, ut ſatanę nequitiam ſuperare quodammodo videatur. Apoſtolus enim de quibuſdam Blaſphemis ait: (*b*) *Quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare*: Quibus verbis luculenter indicat, Satanam ipſum non audere blaſphemiam in Deum proferre, ac poſſe eſſe Blaſphemis Magiſtrum non blaſphemandi. Ut igitur hujuſmodi Blaſphemiæ, & Imprecationis execrandum vitium è Diœceſis noſtræ Vinea averruncari poſſit; ad mentem revocamus primò Indulgentiam decem annorum conceſſam a fel. rec. Leone Papa X. iis, qui non tantùm hujuſmodi Blaſphemos corrigunt, & compeſcunt, verùm etiam puniendos denunciant. Deindè omnibus Animarum Rectoribus præcipimus, ut ſaltem bis in anno Summarium Bullæ S. Pii V. in hujus Synodi Appendice ponendum, ſub pœna carolenorum decem, inter Miſſarum ſolemnia ad populi notitiam deducant; graveſquè pœnas

a *Levit. 24. 14.* b *Timot. 1. cap. 1.*

pœnas in eā adversus Blasphemos contentas explanent;ut (a) quicumquè stultus est in culpa sua, sit sapiens in pœna. Nec in rudiorum gratiam declarare omittant quodnam sit discrimen inter rigorosam Blasphemiam, & abusivam, nempè Imprecationem, & quandonam mortalis peccati culpam ipsa Imprecatio attingat, ut in calce jam dicti Summarii videre est.

## C A P. III.

### *De Sacramentis, & Sacramentalibus in genere.*

1. NEmini non patet, septem novę legis Sacramenta à Christo Domino fuisse instituta, super quibus Templum veræ justitiæ ipse Institutor posuit, veluti, & supra septem columnas Domum sibi Sapientia extruxit: per ea enim omnis Justificatio vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. Ea proptèr studeant supra montem positi, Animarum curam gerentes, Sacramentorum dignitati, Institutioni, & usui ità prospicere, & in illorum administratione ità se gerere, ut eos (b) existimet homo Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Caveant proindè, ne mortiferis sordibus inquinati, ea ministrent, propriam negligendo salutem, dum consulant alienæ.

2. Ut Sacramentorum, & Sacramentalium Ministri ritè se gerant, non alitèr illa administrent, quàm ut docet, & tenet S. Mater Ecclesia, & ad prescriptum Ritualis; & Cathechismi Romani; quos duos codices præ manibus habere, atque adamussim observare nitantur:Eosdem suas intrà Parochias in decenti Receptaculo custodiant; ne corrosi à Tineis, vel sordibus infesti Nobis in S. Visitatione laceri, deturpatique ostendantur. Si secùs fecerint, sciant se pœnam decem carolenorum subituros; eamdemquè subibunt, quoties pro Baptismi, Matrimonii, & Extremæ Unctionis administratione non legitimi impediti, alios Sacerdotes, qui non sint Confessarii, aùt à Nobis ad hoc approbati, substituerint; aùt quotiescumque aliis prætèr modò exceptos claves Baptisterii, Tabernaculi, vel loculorum, in quibus Sacramenta, vel Sacramentalia conduntur, tradiderint, nèc non eidem mulctæ subjicientur, quotiescumquè ob ipsorum negligentiam cuncta quæ Sacramentis, seù Sacramentalibus sunt usui, loca, vasa, & vestes debitam munditiam, debitumquè nitorem non præsese-

---

a *C. qui ea* 10. *dist.* 38. b *Ad Corinth.* 1. *c.* 4.

ferant; aut cùm fine fuperpelliceo, & ftolà Sacramenta admi-niftrabunt.

## CAP. IV.

### *De Sacramento Baptifmi.*

1. INtèr cœtera novi Teftamenti Sacramenta principem obtinet locum Baptifma, utpotè quod Chriftianæ Religionis Veftibulum, Æternæ Vitæ Janua, & poft naufragium prima Tabula eft. Sedulò igitur Parochi provideant, ut tempeftivè illud infantibus præbeant; ne ob dilationem remedii tam Salutaris illorum Animæ æternæ jacturæ periculum fubeant. Quod fi (*a*) quifpiam infantium non baptizatus deceſſerit, aut (*b*) infrà triduũ ad fummum; & non ultrà facrà undà non fuerit ablutus, ipforum Parochorum, vel Parentum, fivè obftetricum culpà, & negligentia, Parochi fufpenfione a Divinis, Parentes verò, & obftetrices excommunicatione majori, re Nobis delata, & probata, fortientur.

2. Quilibet Parochus librum habeat, in quo antè difceſſum Baptizati ab Ecclefia, notet accuratè fua manu annum, menfem, & diem tàm nativitatis, quàm regenerationis ipfius Infantis, exprimendo ejufdem regenerati nomen (*c*), quod non fit nifi alicujus Sancti de Kalendarii, vel Martyrologii Albo excerpti; Ibidemquè parentum, & compatrum Baptizati nomina, & cognomina diligentèr defcribat, cum fua fubfcriptione; In reliquis quidquid in Rituali Recentiori Romano præfcribitur circa hujufmodi minifterium, ad literam obfervet fub pœna noftro arbitratu infligenda. Liber verò recenfitus, Nobis, vel noftris Convifitatoribus quotannis in S. Vifitatione oftendatur.

## CAP. V.

### *De Sacramento Confirmationis.*

1. SApientiffimus Chriftianæ Militiæ Dux Chriftus Dominus, ut milites fuos fpiritalibus armis inftrueret; atquè ità ad reportandum de tartareis hoftibus Triumphum muniret; Con-

B fir-

a *Can. quicumque de confecr. dift.* 4. b *Concil. Prov. Benevent.* 1693. c *Cathech. Rom. p.* 2. *c.* 2. *Cap.* 4.

firmationis Sacramentum instituit, tamquam præcinctorium ad bellum, fortitèr adversus Principes, & Potestates tenebrarum sustinendum; vel, ut Divus Ambrosius ait (a), *tamquam signaculum spiritale, spiritum Sapientiæ, Intellectus, Consilii, Virtutis, Cognitionis, Pietatis, & timoris in filios adoptionis infundens*. Parochorum ergò munus erit, sivè parvulos, sivè adultos confirmandos priùs instruere, eisquè demonstrare hujus Sacramenti naturam, & salutares effectus, illosquè monere, ut sanctè, ac mundè ad illud accedant, & suspiciant; ne Sancti Spiritus muneribus obiicem ponant.

2. Ne autem ipsi confirmandi prò eorum libito per diversa loca vagentur, quęrentes confirmatorem; proùt multoties id accidisse comperimus, insciis Nobis, sivè nostris Præcessoribus, pręsenti statuto sancimus; ne quisquam in posterùm ex nostris subditis spontè hujus nostrę Diœcesis limites transiliat, ut ab alio Episcopo, quam à Nobis, vel Successoribus nostris, ad hoc electo, exorato, sivè advocato, & absquè nostra, vel Parochorum scientia, confirmationem suscipiat, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ infligenda ipsorum parentibus, & aliis id permittentibus, aut consilium præbentibus. Dimissi verò a Nobis, sivè ab ipsorum Parochis, ut foris confirmentur, cum ad propria limina redierint, suis Parochis authenticum documentum exhibeant de suscepto Sacramento, teneanturquè ipsi Parochi illud inserere, & notare in Confirmatorum libro ad futuram rei memoriam, qui liber Nobis in S. Visitatione exibeatur, & eo ordine digeratur, prout habetur in Rituali Romano; ac cœtera in hac re per Parochos observentur ad unguem, quæ Cathechismus, & Instructio in hujus Synodi Appendice apposita innuunt, sub pœnis eorum culpę condignis. Ne verò prętacta Occasio vagandi prębeatur, Nostri, nostrorumquè in officio successorum muneris erit sedulo providere, ut saltem singulis triennis Confirmationis Sacramentum ab aliquo Episcopo nostris subditis administretur in opportuno aliquo loco, intrà nostræ Jurisdictionis limites comprehenso.

CA-

a *acta Eccl. Mediol. par. 4.*

## CAP. VI.

### *De SS. Eucharistiæ Sacramento.*

1. Nihil Eucharistico Sacramento dignius, Sanctius, & admirabilius habet Dei Ecclesiæ, cum in eo contineatur precipuũ, & maximũ Dei donũ, Christus Jesus Dominus noster, omnis gratiæ, & Sanctitatis Auctor, & fons. Parochus igitur omne adhibeat studium, ut tàm ipse, venerabile hoc Sacramentum summa reverentia, cultuque debito tractet, custodiat, & ministret, quàm populus sibi creditus religiosè, & sanctè frequentèrquè suscipiat. Quemadmodum, & cœteri sacerdotes diligentèr advertant, ne in Angelici panis ministerio ullus ritus, ullaquè cerimonia per ipsos omittatur ex iis quę in Rubricis, sivè Missalis sivè Ritualis quo ad hoc prescribuntur. Quod si negligentes comperti fuerint, à Nobis rigidè punientur.

2. Antè Tabernaculum (quod serico albo tàm intùs, quàm extrà circumvestiatur) saltem una diù, noctuquè lampas ardeat; in eoquè continuò serventur Particulę consecratę in Sacra Pyxide argentea, interiùs deaurata inclusæ; nec desit umquam Corporale nitidum Pyxidi substratum, sitquè Tabernaculum ipsum argentea clavicula aptè, & cautè clausum, quæque clavicula sempèr sit penès Parochos, vel Sacristas Sacerdotes cordatos, & neutiquam suspectos, prout, & reliquæ claves Baptisterii, & Sacramentalium; nequè omittant sacratas hostias qualibet hebdomada renovare, consumptis veteribus. Quæ omnia inviolabilitèr observentur sub pœna ducatorum sex piis usibus applicanda.

3. Archipresbyteri, sivè Parochi omnes persæpè populum moneant supèr hujus Sacramenti frequentia, aut saltèm in præcipuis festivitatibus. In Dominica verò quinta quadragesimæ, quæ Passionis dicitur, eorum subditis denuncient obligationem Præcepti Paschalis à sequenti Dominica Palmarum per totam Dominicam in Albis, sub censuris (a) in Concilio Lateranensi constitutis contrà hujusmodi præcepto non satisfacientes. Quapropter quolibet anno ipsi Parochi teneantur sub pœna duarum unciarum de auro piis usibus impendarum, familias, & quoslibet de familia, eorumquè ætatem, qui in propriis Paræciis degunt, ad formam Ritualis Romani in libro describere, quem intrà dies quindecim

 post

a *Cap. omnis utriusque sexus.*

post tempus præcepti, una cum notula distincta eorum, qui nō communicaverint, in nostra Curia præsentent. Pariter sub eadem pœna præfati Parochi tempore Paschalis Præcepti, schedulas distribuendas communicantibus curent per aliquem Sacerdotem fidelem, nullo verò modò per Clericos, illasquè in confectione jam dicti status animarum diligentèr exigant; ita omnis fraus nō communicantium, vel schedulas distribuentium detegi possit.

4. Curent præterea Parochi sub pœnis Nobis arbitrariis, ut adoloscentes, cum ad veræ, & sufficientis discretionis annos pervenerint, ea omnia norint, quæ ad dignè, & piè hoc Sacramentum suscipiendum sunt necessaria: & juxtà sacros Canones (*a*) arceant ab hujusmodi sacra mensa canes, nempè manifestè indignos, uti sunt publici peccatores, Ecclesiasticis censuris irretiti, prout, & conjuges absquè Judicis sententia, & sine canonicà, & legitima causa diù simul non cohabitantes (qui Nobis per ipsos Parochos denuncientur) cœterique omnes, qui secundùm sacrarum legum dispositiones citrà scandalum sunt arcendi. Caveantque tam ipsi, quam quicumque alii, etiam Regulares, publicas, hujus Sacramenti expositiones in suis Ecclesiis, prætèr consuetas, facere, Nobis, vel nostro Generali Vicario inconsultis, sub pœna Interdicti localis. In quibus expositionibus peragendis, omnia adamussim observentur, quæ juxtà Rubricas, & specialem Instructionem in Appendice hujus Synodi subiiciendam, sunt præscripta; aliàs ipsi Parochi, & Cæremoniarii, suæ negligentiæ strictam rationem Nobis erunt reddituri.

## C A P. VII.

### *De Pœnitentiæ Sacramento.*

1. UT ad portum gratiæ post naufragium pervenire possimus (*b*) secundam nobis Tabulam, nempè Sacramentalis pœnitentiæ adjutorium, Ecclesiæ benignissimus parens exibuit. Quod ne invacuum, & minus dignè conferatur, & recipiatur, præcipimus ut Archipresbyteri, & Parochi hujus Diœcesis, antè omnia, quotannis in prima Dominica Quadragesimæ populo, suæ ipsorum respectivè curæ commisso, præceptum (*c*) de Confessione semel saltem in anno obeunda denuncient, ac debita requi-

a *Can. qui scelerati de consecr. dist. 2.* b *c. secunda de Penit. dist. 1.* c *Trident. sess. 1. cap. 5.*

quisita illum edoceant, unà cum pœnis id omittentibus (a) à sacris Canonibus impositis, ut benè instructi, salubritèr ad illud disponantur, & accedant.

2. Tridentini Concilii statutum (b) de nullitate absolutionis, habita per Sacerdotes, ordinaria, vel delegata potestate carentes, omnibus exploratum esse credimus. Idcircò, nullus Sacerdos, qui parochiali beneficio non sit provisus, vel nisi per nostros Examinatores approbatus, & per Nos, sivè nostrum Vicarium Generalem admissus fuerit, Pœnitentiæ Sacramentum intrà hujus nostræ Diœcesis fines administrare audeat, sub pœna Excommunicationis, si Regularis, si verò sæcularis fuerit, eadem pœna, necnon carceris formalis sex mensium mulctabitur. Permittimus tamen, ut Archipresbyteri, & Parochi circumviciniorum Diœcesiũ, videlicèt Beneventanæ, Abellinensis, & Nolanæ possint confessiones sacramentales audire in Ecclesiis, & locis nostræ Jurisdictionis, de scientia tamen nostrorum respectivè Parochorum, & dummodò intèr ipsos reciproca sit actio. Idipsum permittimus iisdem, ac omnibus aliis curam animarum gerentibus quarumvis Diœcesium, & locorum in nostro sacro, & regali Monasterio Montis Virginis majoris, tàm ergà proprios, quam alienos parochianos illuc devotionis gratia confluentes, quemadmodum, & aliis Confessariis, tàm sæcularibus quàm Regularibus à locorum Ordinariis approbatis idem ibidem concedimus, prævia tamen licentia Patris Abbatis Decani præfati Monasterii in nostra absentia, & dummodò de iis, ac eorum qualitate certa cognitio habeatur.

3. Sedes confessionales non nisi in locis patentibus Ecclesiarũ collocentur: in quarum lateribus interioribus affixæ sempèr sint Tabellæ casuum tàm in Bulla Cœnæ Domini, & Summo Pontifici, quam Nobis reservatorum vulgari idiomate, ut aptius ab omnibus percipiantur, & in Feria quinta majoris Hebdomadæ quotannis populo eodem idiomate alta voce publicentur. Adsint insupèr in unaquaque Sede crates ferreæ, stamneæ, vel ligneæ præsertim pro mulierum confessionibus audiendis, nec ulli confessario sivè Sæculari, sivè Regulari fœminis hoc Sacramentum impendere liceat, nisi in confessionali, & dictis cratibus intermediis, nec ante Auroram, aùt post Solis occasum, sub pœnis arbitrio nostro infligendis, etjam suspensionis ab audiendis confessionibus; Infirmarum autem mulierum confessiones non excipiantur, nisi patentibus janvis; ità ut videri, non verò audiri possint Confes-

sa-

a *cap. omnis utriusque sexus.* b *Trid. sess. 14. c. 7.*

farii, sub pœnis prædictis. A prætactis autèm casibus, sivè Papalibus, sivè nostris, nemo, nisi opportuna facultate fultus fuerit, absolvat, excepto mortis articulo, sub pœna privationis officii, & beneficii aliisquè pœnis in Decreto S. Congregationis Episcop. & Regul. sub die 17. Nov. 1628. contentis. Casuum ut supra Nobis reservatorum dabitur series in Appendice præsentis Synodi.

4. Bullam Gregorii Papæ XV. contra Sacerdotes solicitantes, & personas solicitatas non denunciantes, Confessarii præ oculis habeant; sciant præterea, Confessarios carere Jurisdictionis, & potestate absolvendi personas (a) cum quibus impudicè versati fuerint. Ut autem doctè, & prudentèr in hujusmodi Sacramenti ministerio se gerant, laxiorum Doctorum in re morali opiniones minimè sequantur, præsertim Probabilistarum, sed in omnibus tutas amplectantur regulas, muniantur què sanctissimis super hac re instructionibus D. Caroli Borromei, & numquam satis commendabilis Eminentissimi Cardinalis Vincentii Mariæ Ursini nupèr editis.

## C A P. VIII.

### *De Sacramento extremæ Unctionis.*

1. INfirmorum Unctio, extrema appellari solet, eò quod hæc omnium sacrarum Unctionum, quas Dominus Salvator noster Ecclesiæ suæ commendavit, ultimo loco administranda sit; undè hæc ipsa à majoribus nostris Sacramentum exeuntium dicta est, ut fideles memoriam illius novissimi temporis animo defixam jugitèr habeant. Cum igitur per eamdem, reliquiarum peccatorum remissio, & gratia ad labores, & incommoda morbi patientèr ferendum, una cum dispositione ad benè moriendum, aut ad sanitatis restitutionem, si animæ proficiat, infirmis conferantur; attentè proinde studeant animarum Rectores, ne quis eorum culpa, & negligentia non unctus decedat; tunc enim, prætèr divini Judicii pœnas, decem aureorum mulctam piis usibus applicandam luent.

2. Pro recta hujus Sacramenti administratione, Ritus, & Cæremoniæ fidelitèr juxtà Ritualis Romani regulas adhibeantur per ipsos Parochos, aut iis legitimè impeditis, per alios Sacerdotes

Con-

a *Synod. Neap. 1694. p. 11. cap. 5. §. 20.*

Confessarios benè instructos; qui infirmos post hujus Unctionis susceptionem non deserant, sed in extremis laborantibus spontè occurrant, & assistant, illos piis actibus, & precibus assiduè adjuvando, & confortando; transgressores autem eadem decem aureorum pœna taxabuntur piis usibus &c.

3. Singulis annis Feria VI. in Parascæve, veteribus oleis sacris combustis, nova per se, aut per alios Sacerdotes, vel saltem Diaconos, Parochi accipiant à Sacrista majori sacri, & regalis Asceterii Montis Virginis de Monte, & cautè, decentèrquè indè deferantur in capsula talitèr fabrefacta, ut repositis in ea oleis, a prefato Sacrista claudi possit sine clavicula; & non valeat sine illa aperiri, remanente ipsa clavicula pœnès Parochum, mittentem (ut supra) alium pro se; & hoc ad evitandum evitanda.

## C A P. IX.

### *De Sacramento Ordinis.*

1. QUemadmodùm Mundi Redemptor miro suæ dispositionis Instituto Regenerationis lavacrum veluti Januam ad cœterorum Sacramentorum ingressum posuit; ità ordinis signaculum veluti ostium ad eorumdem legitimum ministerium reliquit, per quod ex numero regeneratorum, qui specialius Deo se devovent, ingrediuntur, ut Dispensatores fiant Mysteriorum Dei. Opertet ergò, ne quisquam (*a*) hunc sibi sumat honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Tales erunt, qui post eorum adlectionis, & vitæ diligentem inquisitionem, in Domini sortem adsciscuntur, non humanis respectibus, sed ut Deo fidelem cultum præstent. Quapropter nullus noster Diœcesanus in posterum tonsurandus erit, quin saltem duorum mensium curriculo, habitu Clericali de nostra licentia incedens Prius probabitur.

2. Ut tàm tonsurandi, quam ad minores, & majores Ordines promovendi, quid suscipiendum, quiduè ipsis conferendum sit, benè dignoscant, diligentèr, accuratèque prælegant, & parata habeant, quæ (*b*) sacrosancta Tridentina Synodus ad uniuscujusque ordinis susceptionem statuit; & præsertim mense antè ordinationis diem sua requisita in nostra Curia exibeant, alias non admittendi. Requisita verò per quemlibet promovendum præsentan-

a *ad Heb.5.* b *Trident.sess.23.cap.4.& seq.*

tanda erunt eadem prorsus, quæ discriminatim notata sunt in hujus Synodi Appendice; quibus ex toto, vel ex parte deficientibus, ordinatio denegabitur, proùt ex iis, qui talarem propriam vestem, Biretum, & superpelliceum proprium non habebunt.

3. Juxtà antiquum huius Diœcesis morem, nullos ad sacros Ordines admittetur, qui vel Ecclesiasticum beneficium, vel patrimonium non simulatum, onerosum, aut litigiosum, sed reale, & liberum adminus annui redditus ducatorum vigintiquinque non possideat authenticis documentis probandum; quapropter (a) Promoti cum ficto, aùt alterato beneficio, & patrimonio à divinis suspensis, & constituentes, cooperantes, vel consulentes excommunicati eo ipso erunt, nec absolvendi nisi à Nobis, vel ab alia superiore potestate. Nequè ad primam tonsuram admittantur ii, quibus saltem medietatem Patrimonii supra taxati, nempè duodecim ducatorum annualium prò eorum decenti substentatione ab eorum Parentibus, vel consanguineis realitèr assignati non fuerint, nec nisi expleto quartodecimo ætatis anno.

## CAP. X.

### *De Sacramento Matrimonii.*

1. Viri, & mulieris connubium, quod antè Redemptoris adventum puri contractus naturam non excedebat, post ejusdem Redemptoris Institutionem, ad altiorem statum, nēpè ad Sacramenti dignitatem (retenta tamèn veri contractus substantia) elevatum est: Idcircò, & specialem conjugibus gratiam confert; & mysticum Christi cum Ecclesia Connubium significat; juxtà illud Apostoli Effatum (b): *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Meritò igitùr finè macula contrahendum, tractandū & perficiendum est; quod tunc dignè fit, cum antè illius celebrationem, sivè consummationem ipsi nubentes, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentis muniantur, quos ad hæc seriò hortari eorum Parochi minimè negligant, ut sacramentales effectus, & cœlestem benedictionem, sibi, & proli promereantur. Nè verò sacri Ritus, & Ecclesiæ monita, & Canonum Decreta, præsertim Concilii Tridentini Sanctiones (c) quo ad hujusmodi ministerium, & susceptionem parvipendantur, aut omittan-

a *Cap. Neminem cap. Sanctorum dist. 70. Trident. sess. 21. cap. 2.*
b *ad Ephes. 6.* c *Trident. sess. 24.*

tantur, infrascriptas regulas omninò hac in nostra Diœcesi servari mandamus.

2. Qui principaliora Fidei Mysteria ignoraverint, ad hujus Sacramenti celebrationem non admittantur: Quinimò, nè ad Denunciationes quidem Parochi procedant; quousquè prævio examine futuros conjuges illis callere compererint; sicuti nec illos in matrimonium conjungant, aùt nuptias benedicant domi, vel alibi extrà propriam Ecclesiam parochialem, vel antè solis ortum, vel post illius occasum, sinè nostra, vel nostri Vicarii Generalis in scriptis licentia, non concedenda absque urgenti causa, statimque coniugum, & testium nomina, & cognomina, patriam, locum, diem mensis, & anni in peculiari libro, Nobis in S. Visitatione exhibendo, describant, ad formam Ritualis Romani; non permittentes ea occasione, vel alia simili intra Ecclesiam ab ipsis sponsis, vel ab aliis projici in signum lætitiæ, nummos, fructus bellaria, aliaque gulæ irritamenta, non sine colligentium tumultu, sacrique loci irreverentia. Quæ omnia Parochi observent, & observari respectivè curent sub pœna suspensionis ab eorum officio ad nostrum arbitrium.

3. Proclamationes de futuro matrimonio nullus Parochus faciat(*a*) quin priùs sponsorum voluntatem, ac libertatem consensus diligentèr exploraverit. Quod si vim, vel injustum metum in aliquo contrahentium scrutatus fuerit, Nobis deferat, pro opportuno remedio subministrando. Proclamationes verò nonnisi trinæ fiant juxtà (*b*) Sacros Canones, nèc ulla de causa absque nostra dispensatione, ex toto, vel ex parte prætereantur; illæquæ tribus festivis diebus interpolatis, quantum fieri poterit, perficiantur intèr Missarum solemnia, vel in magno populi concursu, Nobis consultis. Si quæ verò impedimenta, & si dubia detegantur, per ipsum Parochum Nobis communicentur, & interim reliquæ denunciationes suspendantur usque ad novum nostrum mandatum. In universum tàm pro incolis, quam pro exteris, sivè alienæ Parœciæ, sivè Diœcesis, aùt vagis servetur laudabilis, & inveteratus nostræ Diœcesis usus de non emittendis denunciationibus per Parochos, nisi ipsis per speciale nostrum, vel nostri Vicarii Generalis rescriptum demandatæ fuerint; neque unquam sivè præmissis, sivè prætermissis Publicationibus, sponsos in facie Ecclesię conjungant, sine nostræ Curię peculiari mandato, quod Cartella nun-

 cu-

a *Conc. Later. 4. Trident. ibidem cap. 1.* b *Conc. Prov. Beneyent. de anno 1693. tit. 43. cap. 2.*

cupari solet: Si horum quidpiam neglexerint, eamdem ab officio suspensionis pœnam ad nostrum placitum subibunt.

4. Abstineant Parochi à benedictione secundarum nuptiarum ex parte mulieris, etiam si sint primæ ex parte viri, quia juxtà Sacros Canones, benedictum trahit ad se non benedictum. Cum verò Matrimonii celebratio ob nostram dispensationem, vel aliam gravem causam, domi, vel alibi extrà Ecclesiam habita fuerit, curent Parochi, ut solemnitates omissæ, nempè nuptiarum benedictio in Ecclesia, ultrà mensem, non differantur, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, a sponsis incurrenda, donec adimpleant adimplenda. Paritèr elapsis duobus mensibus à peractis denunciationibus, & interim Matrimonio non celebrato, illud celebrari prohibemus, absque nostra expressa licentia, vel novis proclamationibus, sub eadem interdicti pœna, respectivè ad sponsos contrahentes, & suspensionis ab officio, respectivè ad Parochos assistentes, & conjungentes. Qui verò falsum impedimentum ex malitia adinvenerit, & revelaverit, aùt illud revelandum consuluerit, vel suaserit, nè Matrimonium sequatur, præter æterni Judicii reatum, latæ sententiæ excommunicationem Nobis reservatam incurret. Ut autem temporis angustia, impedimenta delaturi non excludantur (a): cavemus, ne Matrimonium ipsa die, qua ultima facta fuerit monitio, celebretur, adeòque nec eadem die consignetur per Parochos Fides de peractis tribus monitionibus, sed saltèm ad sequentem diem differatur.

5. Liber contrahentium status, non minùs per Nos, quàm per Parochos diligentèr exquirendus est, & specialiùs exterorum, aùt vagorum, vel certam sedem non habentium; proindè nostræ Curiæ Ministris districtè injungimus inviolabilem observantiam enciclycarum literarum S. Congregationis supremæ, & universalis Inquisitionis de Urbe, super hac re datarum sub diebus 13 Julii 1630. 30. Augusti 1636. & 21. Augusti 1670, nèc non instructionum, quæ dabuntur in hujus Synodi Appendice; quæque hactenus laudabilitèr in praxim per nostros Majores deductæ fuere, circa Principales examinandos, testesquè recipiendos, ut veritas indè eruatur.

6. Nè mulieres sub spe futuri Matrimonii, prostitutæ, & meretrices priùs evadant, quam sponsæ; volumus ut Parochi hujus nostræ Jurisdictionis statim ac notitiam habuerint de peractis sponsalibus, vulgò *Capitoli matrimoniali*, sponsos futuros prudentèr moneant, ut exindè usque ad contractum matrimonium per verba

---

a *Conc. Prov. Mediol. 3. hoc titulo.*

ba de præſenti, non audeant ſub quocumque titulo, aùt prætextu ſimul habitare, aùt carnalitèr copulari, indictâ illis indiſpenſabilitèr, in ſubſidium, Excommunicationis pœna vigintiquinque librarum ceræ elaboratæ, piis uſibus &c. atque ſeparationis ad invicem per tres menſes; priuſquam Nobis inconſultis, Matrimoniū per verba de præſenti perficietur. Dictamque pœnam ceræ (non verò ſeparationis) ut ſupra, perſolvant ſponſi de futuro, etiamsì non habitaverint cum ſibi diſponſandis, aùt ipſis copulati minimè fuerint, ſed tantùm illarum domos, vel loca campeſtria frequentaverint, aùt ſimul inceſſerint, comederint, & collocuti fuerint cum particularibus confidentiæ ſignis. De quibus omnibus, noſtri Vicarii Foranei ſollicitè inquirant; ac teſtes fide dignos (qui duo ſaltèm eſſe debent) de Sponſæ vicinia adhibeant; eoſdemque Juramento de Veritate dicenda ſub pœna Excommunicationis obſtringant. Et quos reos, aùt inſontes, vel ſuſpectos compererint, noſtræ Abbatiali Curiæ denuncient, ſub formali, & ſtricto obedientiæ præcepto, aliiſque noſtro arbitratu pœnis. Quapropter monemus Parochos ipſos, & Confeſſarios quoſcumque, tàm ſæculares, quàm Regulares, ne abſolvant in foro conſcientiæ hujuſmodi ſponſos, abſque noſtra licentia.

7. Nuptiarum prohibitionem à primo die Adventus uſque ad Feſtum Epiphaniæ, & a Feria IV. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſivè, inconcuſsè ſervandam jubemus, quoad illarum Benedictionem; & ſolemnem ſponſæ traductionem ad domum ſponſi. Quarè, ſi fortè aliquando neceſſitate ſuadente, ſuper condicto Eccleſiæ vetito, per Nos diſpenſatum fuerit; non niſi privatim, nempè domi cum ſola Parochi, teſtium, & domeſticorum aſſiſtentia, & abſque Benedictione, & ſolemni ſponſæ traductione, ad ſponſi domum, id fieri debere intendimus, dilatis Eccleſiæ cæremoniis, & cæteris ſolemnitatibus ad proximiores dies, tempori vetito ſequentes, ùt ſuprà. Qui verò, Parocho & teſtibus ad aſſiſtendum dolosè compulſis, abſque præviis denunciationibus, & ſine noſtro permiſſu, Matrimonium celebrare præſumpſerint, ſint ipſofacto excommunicati, & pœna quinquaginta librarum ceræ albæ elaboratæ punientur.

## C A P. XI.

### De Celebratione Missarum.

1. IPsum Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quod non Taurorum (a) aùt Hircorum, sed Divini Agni incruenta immolatio est, a Christo Domino, primùm in novissima Cœna institutū, ab Apostolis in ipsius nascentis Ecclesiæ primordiis Fidelibus traditum, necnon a supremis Patribus, & Pontificibus per temporum successiones augustissimis cœremoniis adauctum, atquè illustratum, se se Nobis offert ordinandum, & paritèr venerandùm, ut Dominus exercituum (b) oblationem mundam suscipiat de manu nostra, odoremque percipiat suavitatis. Atque, ne in tanti Holocausti immolatione debitus Deo detrahatur honos, abominabilesque fiant Sacerdotes, cœremoniarum defectu, & quod est in expiationem institutum in piaculum convertatur, Sacerdotes apprimè calleant cœremonias, & ritus juxtà Missalis Romani novitèr recogniti præscripta, ac potissimùm Rubricas in Commentariis Illustrissimi Præsulis Sarnelli] contentas in lucem editis jussu Eminentiss. Dō. Vincentii Cardinalis Ursini. Quamobrem Sacerdotio recentèr insignitis, nefas sit primum offerre Sacrum absque nostri Vicarii Generalis licentia, nisi postquàm affatim eruditi censeantur ab aliquo Presbytero, singulis vicibus à Nobis deligendo, qui testimonium in scriptis, gratis quidem, eis impertiatur super sufficienti exercitatione in sacris cœremoniis Nobis, vel nostro Vicario Generali exhibendum. Intereà si aliquis deprehendatur Sacerdos, ineptè se in Altari gerens, a sacris prohibeatur, exercitationi prædictæ subiiciendus, donec Archipresbyteri, vel alterius a Nobis deligendi judicio, satis instructus judicetur; contravenientes se pœnam quatuor aureorum sciant subituros.

2. Nemini ex Parochis, vel Sacristis nostræ Jurisdictionis liceat sub pœna aureorum sex, quempiam ex quavis Diœcesi adventantem Presbyterum, ad Sacri celebrationem admittere, non ostensis literis dimissorialibus a nostro Vicario subscriptis (c) nisi fortè sit apprimè cognitus. Talis autem exterus Sacerdos, contrà præfata celebrans, pœnæ carceris duorum mensium subjaceat (d).

3. An-

a *Leo Serm. 7. de Pass.* b *Malach. 1.* c *Trident. sess. 13. cap. 26. de reform.* d *Literæ Circ. S. Congr. Universæ Inquisitionis de Urbe 26. Jan. 1692.*

3. Antè Auroram, vel post meridiem, Sacrum facere, nemo audeat. In Agricolarum tamen, aliorumque Opificum commodum unam Missam primo diluculo, una hora scilicet ante solis ortum celebrari indulgemus excepta Nativitatis Dominicæ nocte, quoad Missam solemnem tantùm, servata tamen in omnibus Sacræ Congregationis Rituum declaratione.

4. Ut decoris, & nitoris sacrarum supellectilium summa ratio habeatur, eas ad profanum usum convertere, vel adhibere, sicuti iisdem obsoletis, attritis, ac parum mundis uti, nullatenus liceat; sed quàm honestè, decenterque perindè ac cętera altaris ministerio addicta serventur. Corporalia, purificatoria, pallæ, mappæ, albę, amictus, nitidissima sint (a) calices, patenæ, ac Pixides, affabrè perpolitæ, inauratæque; præsertim, qua parte Sacramentales species attingunt. Quod si aliquid immundum, minusvè decens, in hujusmodi, cæterisque supellectilibus deprehendatur; is, cui cura inest, pœnis nostro arbitratu infligendis, mulctabitur. Similitèr in sacris indumentis colorum varietas pro temporum diversitate, ac qualitate Missarum juxtà Rubricas servetur; Insuper nemo, dum sacrum celebrat, audeat pileolo, seù subireto caput opertum habere, vel annulum indigito gestare, vel quatuor candelis, vel duobus ministris uti, neque sacris vestibus indui ex Altari, vel eisdem indutus confiteri, neque calicis abstersionem post ablutionis sumptionem, sequentesque cœrimonias ministro inservienti relinquere, sub pœna carolenorum triginta in singulis trasgressionibus exigenda.

5. Quotidie Sacerdotes sacrum offerre satagant, neque id levi de causa prætermittant, ne in vacuum Sacerdotalis doni gratiā recepisse existimetur. In eodem Sacro Mysterio peragendo, nec tardiores, nec celeriores, quàm par sit, se ostendant; omnia tamen, clarè, & distinctè proferant, nihil addendo, vel minuendo, non verba præcipitando, non memoritèr recitando, sed ex Missali perlegendo. Antequàm verò sacris induantur vestibus, præparent corda, eleventque mentem ad tam præexcellens Ministerium saltem per horæ quadrantem, progressuri deindè ad Altare non festinantèr, aùt obtutus hùc, illùc ejaculando, sed gravi incessu ac modestè accedant. Similitèr Sacrificio peracto, velut Sanctimoniæ spiritus speciem præseferentes lento gradu ex Altari in Sacrarium revertantur; ibidemque, ut Deo gratias agant, aliquantisper morentur. 6. Do-

a *Can. Vestim. de consecr. dist. 1.*

6. Dominicis, & Festis diebus in majori Altari Archipresbyteralis, seù Parochialis Ecclesiæ, antè, vel post Missam, vel in Missa ipsa habeatur sermo, seù Evangèlii explanatio, ut populo non desit spirituale mentis alimentum, interimque aliæ Missæ nō celebrentur. Eodem tempore promulgari jubemus nostra edicta, si quæ sint, & vigilias, ac Festa Sanctorum, per hebdomadam occurrentia, denunciari excommunicatos, aliaque a populi conventu necessariò scienda.

7. Mulctandi gravitèr erunt qui sacrum facere ausi fuerint extra Ecclesiam, seù in Ecclesia polluta, vel execrata, vel interdicta, vel in Oratoriis privatis tempore a Sacris Canonibus, & S. Congregationis decretis vetito (a) vel in Altari pariter execrato, vel interdicto; in prædictis Missis Minister non sit Laicus, sed Clericus superpelliceo indutus, quod servetur semper; si verò necessitas urgeat, ut laicus Sacrificanti ministret, id eatenus permittatur, ut abstineatur omninò à sordidis, pannosis, discalceatis, ac rudibus, tùm Pueris, tùm Grandevis: ne scilicet tam præcellens Sacrificium ex vilitate, & contemptibilitate ministri vilescere incipiat, & contemni.

8. In triduo Passionis Dominicæ prohibemus Missas planas; sed una, & quidèm solemnis celebretur, in solis, & singulis Ecclesiis, ubi SS. Eucharistiæ Sacramentum servatur (b); similitèr nec populus communicet in die Parasceve Domini, sicuti, & nocte Nativitatis post Missam solemnem, aliæ duæ Missæ immediatè non celebrentur, nec populus communicet, nisi post diei auroram, sub pœna carceris formalis per mensem.

9. Nè piæ Fidelium mentes fraudentur, jubemus adamussim adimpleri decreta Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Missarum, jussu Urbani Papæ VIII, edita, ac ejusdem Sacræ Congregationis declarationes anno 1626. & anno 1697. ab Innocentio Papæ XII confirmata; quæ in omnibus nostræ Diœcesis Sacristiis, affixa teneantur, ad formam ejusdem Constitutionis; omittentes pœna ducatorum trium, se sciant mulctandos. Paritèrque eradicari volumus abusum celebrandi Missas Defunctorum pro vivis, perindè, ac si essent defuncti, tamquam alienum a Rubricis, ac Bulla S. Pii V., vel Missas etjam privatas pro Defunctis, Dominicis, & festis duplicibus, seu Octavis privilegiatis; nisi sit dies depositionis, in quo unam tantùm Missam de Requie suprà corpus per-

a *Can. Ecclesiam de consecr. dist. 1. cap. Consuluisti.*
b *Cap. Sabbato de Consecr. dist. 3. (Innoc. XII. Constit. Nuper.)*

permittimus; similitèr inhibemus anticipatè Missam celebrare pro incerto oblaturo eleæmosynam, vel commutare diem, aùt Altare, quibus onus addictum eſt; vel recipere nova eleæmosynarum onera, prioribus non persolutis, vel quamprimùm non persolvendis, intra duorum scilicet mensium intervallum; vel alia perpetua onera sine nostræ Curiæ facultate. Harum omnium, & singularum jussionum violatores, pœnæ viginti carolenorum subjicimus.

10. In omnibus nostræ Diœcesis Sacristiis sit exposita, & affixa Tabella, in qua onera sivè perpetua sivè tẽporanea Missarũ celebrãdarũ, aliorumq; Divinorum Officiorum, ac Sacrarum functionum sint exarata designato tempore, loco, & titulo, quibus annexa sunt. Retineatur etiam liber, in quo adnotetur, quibus oneribus fuerit satisfactum; idque manu satisfacientis firmetur (*a*), ac infine cujuslibet hebdomadæ describatur notula Missarum non celebratarum, Archipresbytero exhibenda, qui sumptibus omittentium satisfieri curet. Si quis autèm Sacerdos in eo Missam non celebratam descripserit, aùt fictitiam, seù falsam attestationem etiam privatam de Missarum celebratione efformare ausus fuerit, præter pœnas juris, pœnam aureorum decem solvet.

11. Archipresbyteri munus erit in Solemnioribus solemnitatibus Missarum solemnia peragere, convenientibus omnibus, & singulis Presbyteris, & Clericis superpelliceo indutis; aliis verò festivis diebus, & Dominicis, Hebdomadarii Missam canent. Quolibet Sabbato, Festo duplici non impedito, Missa de B.V. & qualibet feria secunda, similitèr non impedita, Missa pro Defunctis celebretur.

## C A P. XII.
### *De Divinis Officiis, Cultuque Divino.*

1. SUmmi Numinis majestati, cordium elevatione, vocisq; prolatione immolare Sacrificium laudis, clericalis Hierachiæ proprium, ac peculiare esse munus neminem latet. Si enim omnium creaturarum cœtum tacito quodam concentu resonare laudes Scriptura testatur, si Cœlum, Terramq; ac omnia, quæ in eis sunt laudare nomen *Domini*, affirmat facer Psaltes; Si demum tres Babylonici incendii pueros universam advocasse creaturam ad Creatoris laudes concinendas, ex miro eorum cantico instruimur; dignis-

---

a *Litera enciclyca S. C. C. de mandato Alexandri VII. 13. Decembr. 1663.*

gnissimum est, ut Glorificationis genus ab iis potissimùm exerceatur, quorum interest Divinum pensum quotidie persolvere: Ad hos enim idem Sacer Psaltes sermonem suum direxisse videtur, dum inquit, *laudate eum in tympano, & Choro, ùt nomen ejus exaltetur maximè in Domo ejus*. Hæc autèm Angelica munia, tùm dignè persolvent, cum non labiis tantummodò, Deum laudabunt, cor autèm eorum longè sit ab eo; sed cum depulsis inanibus curis tali fervore, talique reverentia, Ecclesiasticę Psalmodiæ munus obibunt, ac si visibili specie indutam Divinam, quam laudant, intuerentur Majestatem. Utque devotiùs, ac digniùs Sacerdotes tale queant obire munus, hæc servent.

2. Statutis horis convocati per campanæ sonum, sæcularibus curis sepositis conveniant; Ecclesiam ingressi, adorato Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in Sacristiam se recipiant; seseque invicem præstolantes, ibique superpelliceis amicti, bini chorum adeant; ubi ordinatim juxtà præscriptum, seù assignationes sibi factas a Præfecto Chori, Canonicas horas incipiant, devotè, & distinctè psallendo, se erigendo, capita aperiendo, genua flectendo, quoties ratio Divini Officii requiret.

3. Nihil, quod mentis alienationem, tum in se, tùm in aliis gignere possit, fiat; non dormitatio, non collocutio cum aliis, non epistolarum, vel alterius rei lectio, non oculorum hùc, illùc immodesta conjectio, non incompositus corporis situs, non oscitatio, non risus, non obstrepens narium emunctio, sivè screatus, non denique quicquam indecens, quod animi evagationem arguat. Quisquis enim in hujusmodi indecoros actus frequentèr inciderit, & admonitus, emendationis signa non dederit, pœna punctationis circa illam Officii partem, in qua immodestè se gerit, tamquam absens mulctabitur.

4. Alternatim voce uniformi, ac consona psallatur, verba non protrahendo, vel dimediando, sed integrè, & distinctè proferendo. Festis, seù solemnioribus diebus morosiùs, ac devotiùs, semiduplicibus, seù ferialibus expeditiùs solvi Divinum pensum permittimus, idque Chori Præfectus advertat, sicuti ejusdem munus est, errores corrigere, concordare cantum, cæteraque dirigere; cui omnes obediant, sub pœna ad nostrum arbitrium inferenda.

5. Chorum Laici non ingrediantur, dum Officia Divina peraguntur (a); nec cum celebrabitur, colloquantur, quod si necess-

a *Cap. ut Clerici de Vita, & honest. Cler.* (*S. R. C. 6. Decemb.* 1613.)

cessarium quid contingat, potiùs chorista vocetur extra chorum, ut breviter illos audiendo expediat; si quis autem laicus chorum ingressus, & admonitus a Præfecto, protervè exire renuerit, excommunicationis, vel Interdicti jaculo feriatur. Præfectus verò negligens in admonendo, pœnam solvet carolenorum triginta.

6. Ne cultus Divinus, ubi maximè vigere oportet, minuatur, jubemus arcendos esse ab Ecclesiis cantus inhonestos, concentus, & sonos, necnon cantiunculas, & carmina modulanda Organi pulsatione, vel sine (*a*) dum *Divina* officia, Missę, aliequæ sacrę actiones celebrantur sub pœna permittentibus, seù committentibus, si Ecclesiastici erunt, aureorum decem, & carceris ad duos menses; si Laici excommunicationis.

7. Omnes, & singuli de Clero, Choro addicti, calleant cantu Gregoriano, ut sacro concentu aures summæ Majestatis alliciant, animosque fidelium ad pietatem inflectant; Præsertim verò promovendi ad insigniores nostræ *Diœcesis* Ecclesias, cujusmodi sunt, quæ in Terris Mercuriani, & Hospitalecti existunt. Qui verò Gregorianæ modulationis imperiti noscuntur, infrà duos menses a die promulgationis hujus Synodi addiscere incipiant, sub pœna carolenorum viginti; & prosequantur usque dum alicujus modulatoris judicio satis edocti existimentur. Sciant insuper eos minimè satisfacere si submissa voce privatim officium in Choro, vel domi, vel alibi recitent, vel si importunas collocutiones idĕtidem intermisceant, vel tardè accedant, seù exeant, absque Præfecti licentia; adeoque fore restitutioni fructuum, vel distributionum obnoxios; notandos tanquàm absentes per punctatorem à Nobis instituendum; qui præstito jurejurando de suo munere fideliter peragendo eodem accuratè fungatur; cui si quis verbo, vel facto irrogare ausus fuerint injuriam, decem aureorum pœnam dabit.

8. Quivis in sacris constitutus, ac Choro addictus proprio utatur Breviario, ut officio commodiùs satisfaciat; Clerici etiam illud habeant, si poterint ut diebus solemnibus, ac Mobilibus choristarum cœtum adaugeant, ijdem paritèr intersint superpelliceis induti Missæ solemni in Ecclesiis, quibus adscripti in eorũ ordinatione, ac deputatione fuerint, sub pœna trium carolenorum pro qualibet omissione. Cœtera serventur juxtà peculiaria communitatum approbata statuta, quibus derogare minimè intendimus in hujusmodi, ac cæteris illa tangentibus, quinimò &

 illa

a *Trident. sess. 22. decr. de observ. & evit. in Celebr. Miss. (Conc. Antesiodorense cap. 9.)*

illa in præsenti Synodo pro approbatis, & confirmatis habemus.

9. Ut autem ritè, & accuratè ea, quæ ad divinum cultum spectant ordinentur in hac visibili domo Dei, statuimus, ut post præsentis Synodi evulgationem, eligantur per nostrum Vicarium Generalem saltem duo cœremoniarum Præfecti, unus de Clero Mercurianensi, & alter de Hospitalectano, quibus cura demandetur, omnes, & singulas, in suis respectivè Ecclesiis sacras Cœremonias juxta rubricas tam Missalis, quàm Breviarii, aliorumque Ritualium Codicum dirigere, cum onere inserviendi, & assistendi cum Cotta Missis solemnibus, divinis officiis, Processionibus, aliisque similibus publicis Ecclesiasticis functionibus, quæ sivè in Choro, sivè extra Chorum peraguntur, data hujusmodi Cœremoniariis facultate, opportunè, & discretè Ignaros instruendi, defectuosos arguendi, & Inobedientibus atque contemptoribus mandandi, ut ad nos, nostramque Curiam se conferant, pœnas pro modo culpæ subituri.

## C A P. XIII.

### *De Sacris Processionibus.*

1. DEi, vel Largitoris exorandi gratia bonitatem, vel Vindicis placandi iram, publicè Sacrorum Ecclesiæ Ministrorum, populique supplicationes ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis (a) institutas per Patrum traditiones accepimus. Cum enim ad flectendam Summi Numis clementiam aliquando satis non foret solummodo in domo ejus sacrificia offerre, preces fundere, aliaque præstare obsequia; pretium operæ duxere primitivæ Fidei cultores, etiam extrà templa per vicos circulari, & plateas ad ejus gratiam, & beneficientiam quærendam, benignæque miserationis effectus implorandos. Mos itaque iste sacer ad nostra usque perductus sæcula, ut qua decet Religione, & disciplina in posterum perduret, hæc, quę sequuntur, exequenda jubemus.

2. Nullæ unquam extraordinariæ Processiones a quovis instituantur, etiam ex gravi, & urgenti causa sine nostro, vel nostri Vicarii Generalis permissu, sub pœna interdicti Ecclesiæ à qua exierint, & ad quam pergerint (b) sub eadem pœna vetamus, ne

a *Tert. lib. 2. ad uxorem D. Ambro. Serm. 8. Conc. Laodicense sub Sylvestro circà an. 320. cap. 7.*

b *Trident. sess. 25. de Regul. cap. 13. Rit. Rom. hoc. tit.*

ne Processiones in Missali præscriptæ, sivè dum Sacramentum in sepulchro reponitur, sivè quæ assolent intrà ambitum Ecclesiæ fieri, extrà eam protrahantur (a) exceptis publicis, & generalibus in Solemnitate Corporis Christi, & per octavam, in Lytaniis majoribus die S. Marci, in Rogationibus, aliisque de more consuetis.

3. In omnibus præfatis Processionibus, aliisve à Nobis pro publica causa indicendis, intersint non solum omnes de Clero, sed etiam sodalitates habentes usum sacci, sub pœna quoad Singulos subditos carolenorum viginti, & quoad Confraternitates interdicti eorum Ecclesiæ, seù Oratorii. Archipresbyteri, sivè Parochi, ut a cæteris dignoscantur stolam deferant, ac digniori loco honorentur; singuli verò de Clero superpelliceis mundis induti, incedant bini, accensa deferentes luminaria, seù intortitia. In incessu, habitu, ac vultu modestiam præseferant: non confabulentur, non oculis vagentur, sed animi devotione, compositioneque corporis populo sint exempli, Demumque hymnis, & psalmis laudent: Canant tamen sicùt in Choro alternatim, & per lineam divisim, ne cantus perturbetur.

4. Laici promiscuè intèr Clericos non incedant, nec mulieres inter viros, proindeque in qualibet Processione duo, vel plures instituantur directores, ad quos munus istud pertineat; hi etiam curent, ùt ordinatim Processio prosequatur populi continentiâ cohibendo, omnemque tumultùs speciem coercendo. Similitèr tamquam valdè indecorum prohibemus puerorum, & puellarum choræas, varia mysteria exhibentium; omnesque ludicras, jocosas, & inanes, aùt irreligiosas actiones, aùt repræsentationes; sicuti etiam profana spectacula in viis, vel in atriis ædium (b) Prætereà sclopos, radios, aliaque ignea tormenta explodere non liceat, nisi tanta antè, vel post Processionem distantia, ut nullam ei, vel populo comitanti de ordinationem, ac perturbationem pariant.

5. Processiones consuetæ in festo, & per Octavam Corporis Christi de mane tantùm, nec post octavam peragantur, nisi alitèr Nobis providendum videbitur. In ijs verò, cæterisque, si aliqua suboriantur jurgia prætextu præcedentiæ, vel alia quacumque de causa, Nobis, vel nostro Vicario Generali deferantur, si ve-



a *S. C. Episc. in Toletana 23. Augusti 1593. Acta Eccl. Mediol. pag. 787.*
b *S. C. Episc. in Ebreduensi 19. Jan. 1691. Conc. Mediol. I. sub S. Carolo part. 2. tit. de Process.)*

verò tempus, vel occasio non sinat, interim processio non impediatur, sed legitimis protestationibus jura pattiũ illæsa remaneant.

6. Festivus Campanarum sonus in exitu, & reditu Processionem comitetur; idemque per Ecclesias omnes, per quas transire contigerit fiat; atque ad Ecclesiam undè primùm Processio incæpit Ecclesiastici omnes, & Confraternitates revertantur sub pœnis nostro arbitrio statuendis.

## C A P. XIV.

### *De Funeribus, & Sepulturis.*

1. Fidelibus in Christo quiescentibus justa persolvere, extinctisque cadaveribus humationis honorem concedere, magnæ esse pietatis officium, tum Natura docet, tum Fides. Decentissimum enim est, ut ij quibus hujus Sæculi Nox oborta est, interim sepulchralibus tenebris obducantur; expectantes scilicèt beatam Spem, & Adventum Gloriæ magni Dei, & Salvatoris, qui reformabit corpus humilitatis eorum, configuratum Corpori Claritatis suæ; donèc discussa mortis Caligine, Resurrectionis dies illucescat. Ut autem quæ ad funera, & sepulchra fidelium, immutationem suam expectantium pertinent religiosa, ac Christiana humanitate exerceantur; subjectas regulas tradimus servandas.

2. Præscripta in Rituali Romano jussu Pauli V. edito titulo *de exequiis* adamussim exequenda jubemus. Ritus, ac cœremonias, quibus S. Mater Ecclesia, in filiorum suorum funeribus uti solet, Parochi, cæterique de Clero ea Religiositate, ac devotione peragant, ut ad Defunctorum salutem obtinendam, simulque ad vivorum pietatem excitandam, non ad quæstum, aliumve finem, ejusmodi Ritus instituti esse videantur. Ideoque caveant (*a*) ne conventiones, contentionesque intercedant, utpotè quæ simoniæ vel saltèm turpis aviditatis suspicionem, & speciem præseferunt; sed ijs eleemosynis contenti sint, quæ Ecclesiarum nostræ Diœcesis consuetudine, & statutis peculiaribus cujuscumque Ecclesiæ dari solent, aut à Nobis in casibus contingentiæ taxabuntur: alitèr extra juris pœnas, alias nostro arbitrio addemus. Pauperibus verò, ac peregrinis (*b*) gratis omninò hoc pietatis munus impenda-

---

a *Can. quæst. can. postquam Can. in Eccles. Can. præcipiendam.*

b *Can. in Eccles. S. Cong. Episc. in Cæsenaten. Maii 1617.*

datur, atque Archipresbyteri, seù Parochi, vel Communitatis, aùt Ecclesiæ sumptibus, quoad decentia lumina, aliaque necessaria.

3. Pro electione sepulturæ caveant Parochi, ne aliquid prætèr consueta jura Parochialia ab heredibus defuncti exigere studeant, sub pœna viginti aureorum; aùt prætextu Terræ Sanctæ existentis in Ecclesia. Si quis verò non facta sepulturæ electione decedat, nec sepulturam majorum habeat, in illa Parochia tumuletur, intrà cujus fines moritur, vel potius in majori illius Terræ Ecclesia. Caveant itèm Parochi, sivè cæteri de Clero, ne funerum eleemosynas distribuant spectante populo; sub pœna eas pro illa vice amittendi; neve rixas, tumultusve suscitent ad finem retardandi tumulationem, ùt ab hæredibus fiant pignora, aùt fidejussiones pro assecurandis exequiarum emolumentis, contraventores pœna decem aureorùm, & carceris per mensem mulctentur.

4. Nemo cujuscumque gradus, ordinis, & conditionis existat jura parochialia funerandi sibi usurpare audeat, aùt eorumdem exercitium Parocho quomodolibet impedire, vel levare cadaver de Domo Defuncti, antiphonam intonare, exequias dirigere, officium funebre super defunctum in Ecclesia persolvere, aliaque hujusmodi in funeralibus functionibus ad Parochos pertinentia, sub pœna aureorum decem (a): Similitèr Curatus cadavera non subditorum decedentium in sua Paræcia tumulare non præsumat, nisi de proprii Parochi consensu, vel nisi ibi defunctus sepulturam elegerit, aut proprium, vel suæ familiæ ibidem sepulchrum adsit, sub eadem pœna, qua suprà.

5. Defunctorum cadavera ante Solis ortum, vel post occasum humanda non deferantur sine nostra licentia, nec ante duodecim à morte horas, quod si quem mors repentina abstulerit, nonnisi post viginti quatuor horarum intervallum is sepeliendus erit (b), nec ullo modo liceat cadavera clandestinè, aùt absque consuetis funeralibus Cæremoniariis ad sepulturam deferre; transgressores, si Laici fuerint, excommunicationis gladio ferientur, si Clerici, pœna quindecim aureorum plectendi erunt. Prohibemus item, ne cadavera semel humo recondita exumentur, aliovè asportentur (c) nisi de nostra licentia sub eadem pœna; majori reatui obno-
xii

a *Can. unusquisque Can. ultima Extravag. detestandæ de Sepulturis.*
b *S. Cong. in Bononiensi 21. Novemb. 1637.*
c *Rit. Rom. tit. de Exequiis Conc. Provinc. Mediol. 6. part. 3. tit. quæ ad funera.*

xii censendi erunt, qui illa exenterant, comminuunt, vel concidunt, sicut, & mandantes: ideoque preter excommunicationem Papæ reservatam (*a*) aliis gravissimis pœnis sciant se esse puniendos, quibus etiam subjicientur sepulchrorum violatores, qui et infames in jure declarantur.

6. Nullatenùs in locò sacro tumulandi erunt, quibus per Sacros Canones Ecclesiastica sepultura interdicitur, cujusmodi sunt non baptizati, infideles, hæretici, notorii Clericorum percussores, excommunicati, aùt interdicti, publici usuarii, raptores, in torneamento, ac duello decedentes, qui Paschale præceptum non impleverunt, notorii concubinarii, blasphemi, sine pœnitentiæ signis decedentes, seipsos ex industria necantes, Ecclesiæ decimas non restituentes; hos enim Parochi, & Ecclesiarum Rectores sepeliri non sinant sub pœnis per Sacros Canones impositis, aliisque nostro arbitrio &c. Quod si dubitetur, utrum alicujus Cadaver ab Ecclesiastica sepultura, sit excludendum, à Nobis dubii resolutio expectetur, sub eadem pœna, qua suprà.

7. Subtus Altare, ubi Corpus, & Sanguis Christi Domini conficitur nemo tumuletur (*b*); idcircò sepulturæ omnes subtus Altaria, vel eorum pradellas existentes, quæque ab Altari per quatuor saltem palmos non distant intrà duos menses omninò removeantur, delatis aliò cadaveribus. Pariterque prohibemus ne cadaverum monumenta parietibus Ecclesiarum exposita adhereāt (*c*) nève pavimenta sepeliendi causa defunctos scindantur sine nostra facultate sub pœna interdicti.

8. Archipresbyteri, vel Parochi munus erit statim funeralibus exequiis expletis in libro defuncti funus describere cum distinctione diei, mortis, tumulationis, aliisque circumstantiis; si culpabilem in hoc aliquem invenerimus, subiiciemus pœnæ ducatorum decem.

9. In singulorum Ecclesiasticorum funeribus, Ritus quoad sacras vestes, quibus eorum cadavera sunt ornanda, quoad fieri potest servetur. Cum iisdem autèm sacris ornamentis, seù indumentis sepeliantur, aliàs suspensa remaneant quoad usum Altaris (*d*) ad tenorem constitutionis Concilii Arvernensis. Similitèr se-

a *S. Cong. in Bononiensi 2. Julii 1620.*

b *Cap. Sacris de sent. Excom. Cap. excommunicamus de hæreticis Clem. I. de sepulturis cap. quia de usuris &c.*

c *Can. præcipiendum Can. nullus 13. qu. 1.*

d *Conc. Arvern. de anno 535. Can. 7. de opertorio.*

sepulchra Sacerdotum à sepulchris laicorum separata sint; quemadmodum Virorum à Mulieribus, & Puerorum à reliquis.

10. Cum quis ab intestato decesserit juxtà ipsius defuncti qualitatem, ac patrimonii quantitatem secundum Diœcesis, & Jurisdictionis nostræ consuetudinem, & testamentum pro illius Anima Nos condemus; Nostra ergò intererit res illius disponere, domuique consulere; præsertim verò Animæ pia impertiri suffragia, cœteraque peragere ad præscriptum Epistolæ circularis de mandato S. C. Episc. & Rugular. super hac re transmissæ Episcopis hujus Regni Neap. 19, Aug. 1678.

## C A P. XV.

*De Reliquiis, & Sacris Imaginibus, ac de miraculis.*

1. SAnctis, quos intercessorum munere fungi apud Thronum Excelsæ Divinitatis procunctis terræ incolis, nemo ambigere audet, gratissimum exhibetur obsequium, si id, quod illos repræsentat in terris, veneremur. Hujusmodi sunt eorum Sacræ Icones, ac Reliquiæ; quæ ut ea, qua par est Religione conserventur, & ea qua decet pietate colantur, hæc quæ sequuntur, statuimus.

2. Novæ Reliquiæ, vel non authenticę, vel aliundè delatæ, & si authenticis documentis sint munitæ, Nobis inscus, publicæ adorationi nullatenus exponantur (*a*) sub pœna excommunicationis. Reliquiæ verò incertæ, ac dubiæ quamvis servari decentèr cum cæteris conveniat, nullo tamen pacto exponantur, sub eadem pœna. Ea proptèr intrà tres menses ab hujus Synodi promulgatione Ecclesiarum Rectores, aliique, ad quos pertinet, Reliquiarum cathalogum Nobis præsentent, sub pœna quinque aureorum, si fuerint Ecclesiastici; interdicti verò, si fuerint laici, vel exempti.

3. Sine nostro speciali permissu nulli extrà Ecclesiam, in qua asservantur, commodentur, sub eadem pœna suprà; atque ùt intactæ custodiantur, nemo cujusvis gradus, & conditionis existat, eas furetur, vel surripiat, vel aliquid ex eis frangat (*b*) sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, aliisque gravissimis à Nobis infligendis.

4. Turpis lucri conventione Sanctorum reliquiæ fiedelium adoratio-

---

a *Trident. cum ex eo, de Reliq. & Vener. Sanct.*

b *Cap. quisquis inventus 17. qu. 4. cap. Corp. de consec. dist. 1.*

fationi non exponantur, multò minus sagrilega negotiatione vendantur (a) sub eadem pœna excommunicationis, & carceris formalis per sex menses, si fuerint Ecclesiastici.

5. In vasculis, seù capsulis decentibus piè, ac religiosè eas servari mandamus intrà Ecclesiam; vel intrà Sacrarium custodiri, numquam extrà thecas, aùt loculos ostendi. Cum exponuntur, vel reponuntur, Sacerdos superpelliceo, & stola indutus, eas deferat cum duobus luminaribus ad Altare, vel ab eo tollet, interim hymnum, antiphonam, & orationem illius Sancti devotè recitet, vel canat. A Laicis cujuscumque sint dignitatis tangi, & tractari Sacras Reliquias, & cœreos Agnos à Pontifice benedictos omninò vetamus: sine sagrilegii (b) notà, ut scribit D. Gregorius.

6. Nemo novas Imagines sivè pictas, sivè sculptas, votivas tabellas, vexilla, insignia, epitaphia, stemmata, aùt inscriptiones in Ecclesiis, sivè Capellis, sivè in sepulchris, vel alias collocare, vel erigere audeat, sine nostra expressa facultate, & approbatione; alitèr in transgressores gravitèr animadvertemus. Cum autèm prædictæ sacræ Imagines fuerint à Nobis approbatæ nullatenus exponantur, nisi priùs solemnitèr ex Ecclesiæ Ritu benedicantur à Nobis, vel aliis ex nostra electione. Prohibemus itèm Sacras Imagines profana venustate depictas, aùt nimis incomptas, & obsoletas, aùt temporis diuturnitate corrosas in Ecclesiis retineri, sed igne absumantur, earumque Cineres in Sacrario, vel in fossis pavimentorum recondantur (c); quod intelligi etiam volumus de pallis, velis, candelabris, lignis, cœterisque ad Divinum cultum dicatis.

7. Signum Crucis, aliæque Sacræ Imagines in locis sordidis, aùt in solo, vel silice, vel marmoribus humi positis, nullatenus efformentur, vel depingantur, si quæ sunt (d) volumus eas confestim deleri; sicùt etiàm obliterari jubemus picturas, quę alienum quid à sacris historiis, vel Sanctorum actis repræsentant, vel quæ ità ineptè efformatæ videntur, ut devotionem ac venerationem potiùs arceant, quam concilient.

8. Cum plerumque eveniat, ùt vulgi concursu, populique clamore aliquid pro miraculo, quod revera non est, evulgetur, huic malo occurrere satagentes, mandamus Vicariis foraneis, ac Paro-

---

a *Conc. Carthaginense 5. Can. 4. Trident. l. c.* b *S. Greg. lib. 3. Epist. 30. ad Constantium Augustum.* c *Cap. Altaris cap. ligna de consecr. dist. 1.* d *leg. unica codice Nemini licere.*

rochis, ut statim, ac hujusmodi clamores suboriantur, certiores nos faciant, ut veritate comperta, quid sit agendum in Domino disponamus.

9. His, qui Sanctitatis nota in Domino obdormierunt, tamen non dum canonizatione, vel beatificatione decorati fuere, etiamsi miraculis præfulgeant, nullum publicum cultum exhibendum esse statuimus, juxta Decretum Urbani VIII., aliasque Pontificias Constitutiones.

10. Votivas tabellas, seu dona quæcumque in gratiarum actionem Sanctis, eorumque Imaginibus oblata, suspendi jubemus in Ecclesiæ parietibus, de nostra tamen licentia, ut suprà; ut scilicèt hujusmodi signa, visibili quodam eloquio SS. Beneficia spectatoribus enarrent; atque ità eorumdem animos ad SS. venerationem alliciant. Nullatenus verò alienentur, seu vendantur, Nobis inconsultis, sub pœna Excommunicationis.

## C A P. XVI.

### *De Festorum observatione.*

Quamquàm nulla sit dies, qua à Dei cultu, ac veneratione desistendum foret; peculiari nihilominùs obsequio, omnique pietate, ac Religione ei festis diebus est vacandum. Si enim ethnicæ disciplinæ cultores dies festivos Idolis dicatos superstitiosa Religione colebant; quanam officiosa observantia festos dies vero Numini dicatos fidelium cætus prosequatur oportet? Profectò non aliam ob causam Deus in veteri testamento Sabbata sanctificanda præcepit; nisi ùt ex tot Anni diebus aliquot sibi seligeret; in quibus specialis ipsi cultus ab hominibus exhiberetur. Hoc igitur Veteris legis Præceptum nova Evangelii Lege confirmatum, qua decet Religione colere fideles minimè omittant, sed juxta Ecclesiæ præscripta tùm à servilibus, mechanicisque abstineant operibus, tùm sacro intersint.

2. Archipresbyteri, vel Parochi indicere satagant fidelibus festa de præcepto servanda, quæ apposita habentur in Appendice hujus Synodi, quæque ab Universali Ecclesia præcipiuntur.

3. In Terra, sivè Ecclesia Mercuriani, quæ primum post sedem semper obtinuit locum, servandum erit de Præcepto, & sub ritu duplicis secundæ Classis cum octava Festum Divorum Modestini, Florentini, & Flaviani Martyrum, incidens in decimam diem Junii, tamquam principalium Patronorum ejusdem Terræ. Festum

E item

itèm SS. Patris Nostri Gulielmi Abbatis Fundatoris nostræ Congregationis in vigesimam quintam diem ejusdem Mensis Junii cadens, celebrandum erit cum octava, atque servandum paritèr de Præcepto, tamquam Patroni totius Diœcesis. Item Festum D. Dominici Civitatis Neapolis Patroni, ac D. Januarii ejusdem Civitatis, & Regni præcipui Patroni, & Festum Conceptionis immaculatæ Virginis. Et cum multis ab hinc annis usu receptum sit, ut Officium Dedicationis Sacri, & Regalis Templi Montis Virginis majoris, sub ritu duplici Primæ Classis (sine tamen octava) in tota Diœcesi recitetur; idipsum, & Nos in præsenti Synodo confirmamus.

4. In prædictis, cœterisque diebus festis de Præcepto vetità esse mechanicæ artis exercitia, profanæ negotiationes; cunctaque ruralia, ac fabrilia opera denunciamus; ideoque Sutores, Muratores, Sartores, aliique opifices conquiescant. Jumenta onusta non ducantur; merces non vendantur, mulieres ab opere textorio, vel resarcitorio, alioque servili labore abstineant; ac ut unico verbo omnia explicemus, servilia omnia, ac prohibita per Sacros Canones minimè exerceantur, Contraventores ultrà reatum conscientiæ contrahendum, pœnæ decem carolenorum, quæ in subsidium Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ad duos menses duraturi sancitur, subjectos esse intelligant. Idcircò per nostræ Curiæ executores per domos, vicos, ac rura discurrentes exigantur à transgressoribus pecuniariæ mulctæ, vel pignora. Quod si necessitas urgeat, imploretur venia à nostro Vicario Generali, vel à Vicariis foraneis; iisque absentibus ab Archipresbyteris, vel Parochis, qui gratis, & prudentèr illam concedant.

5. Iisdem festivis diebus juramenta judicialia, aùt quibus ratificantur contractus, minimè præstentur, nisi pro pace, vel'alia necessitate. Similitèr Tabelliones absque nostra facultate instrumenta, contractus, aliasque publicas scripturas non conficiant, nisi testamentorum, matrimoniorum, ac pauperum, sub pœna invaliditatis actuum, ac Interdicti personalis; præsertim verò omnem tùm Fori Ecclesiastici, tum Laicalis judicialem strepitum omnimodè interdicimus, etiàm executiones reales, vel personales pro causis civilibus (*a*) sub pœna excommunicationis, exceptis tamèn casibus à jure permissis, ut in Appendice.

6. Comestibilia verò, & cætera ad victum horum dierum necess-

---

a *Cap. ult. de feriis can. placita 15. quæst. 4. l. ult. cod. de feriis.*

cessaria, permittimus venum exponi, ac emi. In diebus verò Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Domini, ac Festi Patroni, vel Protectoris neutiquam publicè hæc, & similia vendantur, quinimmò cunctas claudi apothecas, seù officinas jubemus; inobedientes eadem quâ suprà, pœna, scilicet Interdicti, & in subsidium carolenorum decem punientur.

7. Nedùm ab illiberalium artium exercitio festis diebus abstinere fideles jubentur, verùm & Sacrosancto Missæ Sacrificio interesse. Moneantur ergò ab Archipresbyteris, seù Parochis omni devotione, ac attentione eidem assistere, omnesque voluntarias evagationes removere (a) alioquin sciant se precepto minimè satisfacere. Puellæ nubiles, aùt viduæ, vel mulieres à luctu detentę nullo cujusvis consuetudinis titulo excusentur; sicuti Patresfamilias non excusantur, & Domini, qui extrà oppida detinent filios, & famulos in pascendis gregibus, vel agris colendis, quorum audiendi Sacrum omissiones imputandas sibi esse in supremo Dei judicio sciant. Hortentur etiam fideles, ùt iisdem festivis diebus diutiùs commorentur in Ecclesiis, ut scilicèt non solum Missæ Sacrificio, sed etiàm concioni, Recitationi Rosarii, aliisque Divinis Officiis, & publicis precibus intersint (præsertim solemnioribus diebus, vel tempore Quadragesimæ, & Adventus) aliisque piis operibus vacent, itaùt verè Sabbata santificare censeantur. Quaproptèr ne Fidelium mentes à præfatis sanctis exercitationibus alienentur, strictè prohibemus commessationes, compotationes, tripudia, choreas, theatrales repræsentationes, histrionum spectacula, aliasque publicas hujusmodi nugas. Si talia agentes post piam monitionem contumacitèr perseveraverint, per nostram Curiam excommunicentur. Quod verò attinet ad ferias judiciales in nostra Curia Abbatiali servandas, pretèr Festa de Præcepto in quibus omni judicialis actio cessat, eas subnectemus in Appendice.



E 2 CA-

a *Can. quandò 68. de cons. dist. 1. cap. dolentes de Celebr. Missarum.*

## CAP. XVII.

### *De Observantia Jejuniorum.*

1. Cum ad augendas spiritus vires plurimùm conferat Sacri institutio Jejunii, utpotè quod carnem enervat, spiritumque quàm maximè roborat; ideò ab Ecclesia præscripta est Jejunii observatio, quo fulti sicùt Salvàtor, (qui nobis jejunantis exemplar in deserto exhibuit) Jejunii præsidio Victor evasit; sic, & nos Sathanæ incursibus obsistere possimus. Ut autem hujusmodi Præceptum tùm sacræ Quadragesimæ tempore, tùm in quatuor anni temporibus, tùm in Sanctorum vigiliis, ritè serve-tur, ad Parochos spectat fideles omnes instruere in iis, quæ ad exactam Jejunii observantiam pertinent, ità ut probè sciant, & modum illud servandi, & qui jejunare teneantur, & quos Ecclesia excuset, & qui denique sit jejunii finis, qui fructus, quæ utilitas.

2. Quadragesimali tempore illi, quos ætas excusat, aùt languor extenuat, aùt necessitas arctat, non antea carnes, aùt lacticinia comedant, quàm obtineant veniam à nostro Vicario Generali, vel à Vicariis foraneis, prævia medici attestatione (a), & scientia Parochi respectivè de impotentia. Declaramus tamen eos quibus fuerit dispensatum in ovis, aùt lacticiniis, carnes neutiquam comedere posse, sicùt etiam suademus, ut quibus ob languorem fuerit indultum in qualitate ciborum, in comestione scilicèt carnium; abstineant in vespertinis comestionibus à nimia quàtitate ciborum, sed congruam Parsimoniam servent. Caveant idcircò medici ne nimia facilitate præfatam attestationem illis exhibeant, qui fingunt laborem in præcepto: alioquin suas conscientias oneratas intelligant.

3. Cibos vetitos non solum comedi, verùm, & vendi prohibemus diebus Quadragesimæ, vel alterius Jejunii nisi pro infirmis prævia nostra facultate. Caupones, Tabernarii eos non præparent, aùt apponant hospitibus, sub pœna aureorum quinque, in subsidium excommunicationis, nisi ijs, qui exhibent medici, & sui Ordinarii facultatem.

CA-

---

a *Conc. Tolet. 8. can. 9. cap. Consilium de observ. Jejuniorum.*

## CAP. XVIII.

### *De Verbi Dei Prædicatione.*

1. GRegem Apostolicæ Prædicationis pabulo enutrire, Pastoris, cœterorumque Sacerdotum peculiare est ministerium. Hos enim tangit illud effatum, oportet prædicare &c. & ad hos dirigitur illa Ezechielis monitio (a) *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Caveat ergò Verbi Dei Præcones, ne quod verbis ædificant, operibus destruant, & cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur; ideòque potiùs Sanctimoniæ exemplo, quàm vocis prolatione Evangelium nunciare studeant. Utque rectiùs hoc obeant concionandi munus, infrascripta servent.

2. Nemini liceat concionandi munus in nostra Diœcesi exercere, nisi Nobis examinandus, & approbandus præsentetur. Obtenta facultate ingenuè, ac fideliter Verbum Dei annunciet; Sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus nullam apocrypham, interpretationem, nullamque obliquum sensum tribuant; non inanibus Poetarum figmentis (præcipuè quæ mores inquinare possunt) vel historiis, seu fabulis utantur, nisi quæ moralitatem ad animarum profectum gignere possunt; non histrionum, vel ludionum ludicras partes imitando, vocis, ac gesticulationis prophanitate sacra pergama inhonorent, neque fictitia evulgent miracula, vel in enarrãdis hereticorũ opinionibus, aut referẽdis inanibus quæstionibus diù immorentur. Detractantibus in supradictis, concionandi munus nunc pro tunc interdicimus, aliasque pro nostro arbitrio pœnas infligemus. Prædicent enim Christum Crucifixum ad virtutum assecutionem animos excitando, à vitiorum deformitate deterrendo. In redargutionibus caveant ne famam, vel nomen alicujus personæ, vel communitatis commaculent, neve peccata, quæ in Confessionibus exceperunt cum periculo frangendi sigillum, exagerent. Obstrepentes increpationum excessus, ac omnia tumultuaria spectacula (quod pro Missionatiis præcipuè intelligi volumus) omnesque insolitas repræsentationes sine nostra facultate evitent, sub pœna ad arbitrium.

3. Laicis omninò prohibitum sit concionari (b) etiam privatè in

---

a *Ezech.* 33. b *Cap. ad abolendam cap. cum ex injuncto, cap. excommunicamus.*

in Oratoriis, quorum sunt Priores, vel officiales, sicuti etiam non Sacerdotibus, vel Sacerdotibus suspensis, interdictis, excommunicatis, depositis, degradatis, vel irregularibus. Quaestoribus, item eleemosynariis, Tertiariis, seù Heremitis sub poena excommunicationis latae sententiae, quibus etiam prohibemus quaestum facere absque nostra facultate. Supradicti autèm, & omnes temerè concionandi munus assumentes per nostram Curiam, ac per Vicarios foraneos Dioecesis detineantur in carceribus mancipandi.

4. Communitatum, sivè Ecclesiarum Administratores nullam habeant cum Concionatoribus conventionem de quantitate eleemosynae, sed solitam persolvant, nèc eam diminuere satagant. Detractantes censuris coarctabuntur. Caeterum hortamur omnes in Domino, ut unusquisque concioni intersit relictis reliquis curis, ac artis, & negotii opera intermittat; districtiùs verò Ecclesiasticis hoc ipsum praecipimus, ut nullam concionem, vel concionis partem audire omittant, alitèr à Nobis gravitèr corripientur.

## C A P. XIX.

### *De Rebus Ecclesiae non alienandis.*

1. QUoniam Ecclesiae haereditatem tuendam Nobis praecipuè Dominus demandavit, quippè quod absque temporali proventu ejus prolaberetur cultus, ità in ejusdem patrimonii administratione pervigiles Nos esse convenit, ut in reddenda ratione fideles inveniamur. Nostrum igitur est pastorali solicitudine, vulpes, quae demoliuntur Vineam Domini capere, ac censurarum laqueis irretiri. Utque impensiùs huic muneri operam impendamus, precipimus omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ut bis saltèm in anno intèr Missarum solemnia legant vernaculo idiomate Capitulum 11. Sess. 22. Sacri Concilii Tridentini contrà hujusmodi fructuum, proventuum, ac bonorum usurpatores, & detentores emanatum, & illud Bullae Cenae §. contrà eosdem editum, prout in hujusmet Dioecesis Synodo Urbano habita anno 1647. Legant itèm Decretum ejusdem Sacri Concilii Tridentini sess. 25. cap. 12. de reform.

2. Eligantur pro administrandis Ecclesiasticis proventibus probatae vitae viri, quique valeant eorum jura tueri; iisdem prohibemus bona in proprios usus convertere, imò uti pecunia, caeterisque fructibus etiàm animo restituendi suo tempore. Similitèr nèc de

de eisdem pecuniis mutuum fiat aliis, vel personis, vel locis piis sub pœna excommunicationis. Quoad alienationes serventur omnia, quæ de jure servanda sunt, præsertim quoad impetrationem Apostolici, vel nostri assensus; nec ulli Oeconomo liceat census, & mutui, vel cujusvis generis contractus sine nostra facultate in scriptis obtinenda inire; Sicùt etiàm prohibemus iis, qui bona Ecclesiæ in Emphiteusim possident illa velùt libera alienare, nō facta mentione Canonis Ecclesiæ debiti, sub eadem pœna. Quoad locationes fieri interdicimus ultrà triennium juxta Pauli II. constitutionem (a), nec consanguineis, vel affinibus administratorum, ut fraudis suspicio absit, sed per extinctionem candelæ plus offerentibus concedantur. Omnes itèm contractus sivè venditionis, sivè locationis, sivè permutationis, aùt cujusvis generis contrà Sacrorum Canonum, ac juris præscriptum initos, declaramus irritos, & inanes, ac contrahentes, & Notarios stipulantes excommunicationis pœnæ aliisque nostro arbitrio subjicimus.

3. Rectores Ecclesiarum, & Procuratores, seu Oeconomi Cōfraternitatum bona exigui valoris, quæ juxtà Sacros Canones ordinarii authoritate alienari possunt, caveant absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis facultate illa distrahere, vel permutare, sub pœna excommunicationis. In quorum alienatione servetur antiquus mos nostræ Curiæ de non prestando assensu, ultra summā quadraginta novem ducatorum de moneta Regni. Supradicti, & omnes Ecclesiarum, sivè locorum piorum administratores infrà mensem conficiant inventarium bonorum mobilium, & immobilium, redditum, & jurium, quoquemodo ad Ecclesias pertinentium Nobis exhibendum, sub pœna aureorum quinquaginta; Paritèrque jubemus, ut statim ac administrationis munus absolverint, Nobis se præsentent, rationem villicationis suæ reddituri.

4. Declaramus sacrilegii reatu, ac excommunicationis laqueo detineri quotquot bona, sivè mobilia, sivè stabilia Ecclesiarum, & quorumcumque piorum locorum, præcipuè Sacri Monasterii Montis Virginis de Monte, ac nostræ Domus Lauretanæ, & Mensæ Abbatialis retinent de facto, vel in futurum usurpari ausi fuerint; paritèrque quotquot scripturas, Codices, privilegia, processus, acta, & similia ad illa quoque modo pertinentia ablata possident, vel in futurum surripere non verebuntur ex Archivio nostræ Curiæ, vel præfati Monasterii de Monte, vel alterius Monasterii nostræ Congregationis. Monentes insuper Tabelliones, sivè

a *Paulus II. in Extravag.*

vè Notarios, ut legata ad pias causas infrà bimestre iis quibus relicta fuere, indicent, aliàs eadem censura innodatos se esse sciāt. Hoc idem statuimus de detractantibus adimplere legata, seù testamenta hujusmodi ad pias causas relicta, de quibus Vicarii foranei Nos certiores reddant, ut juris, ac facti remediis tam perniciosæ contumaciæ obsistamus.

## C A P. XX.

### *De Vitâ, & Honestate Clericorum.*

1. NUmquam à nobis satis industriæ satisque laboris in reliquis nostri Pastoralis Officii ministeriis insumptum putabimus, nisi priùs quidquid industriæ, ac laboris in Ecclesiasticorum vita reformanda, moribusque instituendis conferre possumus, reipsa contulerimus: Hac de re potissimùm ad habendas has Synodales sanctiones mentem appulimus, ut si aliquis Ecclesiasticæ Disciplinę collapsus nobis obviam fieret; è vestigio ejus reparationem aggrederemur. Nihil enim est, quo magis Ecclesiasticorum dignitas fulciatur, quàm eorum Sanctimonia, & exemplo, qui se Divino Ministerio mancipatunt. Quid enim, inquit Chrysostomus *faciet laicus Simplex nisi quod patrem suū spiritualem viderit facientem?* Sciant igitur Sacerdotes sacros esse Duces, & exercitus Domini Antesignanos, & minimè recto calle fideles ducere posse, nisi rectitudine potiātur. Sciāt præsbyteros esse quasi præbentes iter ad salutem, ac ne utiquam hoc ostendere valent per invia discurrentes: Si lux sunt mundi, eos prælucere necesse est ad vitiorum caligines extinguendas. Si sal terræ sint quomodo si evanuerint, fœculi insipientiam condient? Quamobrem ut juxtà clericalem Ethymologiam in sortem Domini, hæreditatemque adscriptos se esse ostendant, nil de terrenis sapiant, sed ad Cœlestia anhelent, Sanctimoniæ specimen cunctis in suis actibus exhibentes, itaut ad D. Ambrosii sēsum quod sunt professione, actione demonstrarent.

2. Ecclesiastici omnes tum in sacris, tum in minoribus constituti seu prima tonsura initiati in omnibus Ecclesiasticis functionibus, & ad nos, nostramque curiam accedentes, habitum talarem nigri coloris præcinctum cingulo nigri etiam coloris deferant, ac Clericalem tonsuram ordini convenientem. Interiora

etiam

etiam indumenta, sicut, & Tibilia religiosam modestiam ostendant: quemlibet fucum, ac vanum ornatum, quo sæcularis pompæ species exhibetur, evitent, sub pœna aureorum sex. Annulo non utantur, nisi ex gradu vel dignitate conveniat (a) quem in sacri celebratione deponant sub eadem pœna: Comam nullatenus enutriant; multominus gerant fictitiam: Vanis spectaculis, profanis comediis, ceterisque circulatorum, vel histrionum repræsentationibus neutiquam intersint, nec interlocutorum personas in scænis, seù repræsentationibus etiam sacris gerendas assumant sine nostra facultate, Arma non deferant. Larvati, & personati etiam bacchanalium tempore non incedant. Noctù non exeant nisi gravi necessitate compulsi. Cauponas non frequentent, imo nec ingrediantur, edendi, vel bibendi causa: A computationum, vel commessationum excessibus abstineant. Ad convivia nuptialia vocati, nil agant clericali statui indecorum, quod scandalum astantibus præbeat. Per publicas vias circumire non audeant cum musicis instrumentis insonando, vel canendo; Aleis, taxillis, cæterisque ludis prohibitis, non ludant, sed tantummodo non prohibitos eis permittimus, non tamen in locis publicis. Venationi aut aucupationi non dent operam, si verò aliquando prævia nostra licentia concedatur eis posse venari, has conditiones servent, scilicet quod non nimis frequenter huic vacent exercitio, sed moderatè recreationis causa, non in diebus festivis, & jejuniorum, non venationi clamorosę, numquam habitu Clericali dimisso. Scurrilitatis, vel detractionis vitium effugiant, & cum eorum conversatio in Cœlis esse debeat, ab improborum hominum societate ac omni laicali licentia se contineant: Ab inanium, & obscenorum lectione librorum, a locis, ubi sæcularium negotia, seù confabulationes habentur, se abstineant: supradictorum omnium transgressores, ultra pœnas in Sacris Canonibus perscriptas, aliis nostro arbitrio subiicimus.

3. Advocati, vel Procuratoris munus assumere Clericis omnino interdicimus in Tribunali sæculari sine nostra facultate, nisi pro se ipsis, vel pro Ecclesiæ necessitate, vel pro pauperibus, vel



a *Sacra Rituum Congr. apud GaVan. 2. Feb. 1623. Clement. quoniã de Vita, & honestate Clericor. Can. penult. dist. 23. Can. 2. & 3. 21. q. 4. Cap. Clericis de Vita, & honest. Clericor. Concil. ProVinc. Mediolan. S. Caroli. Can. Clericum dist. 36. cap. cum decorem de Vit. & honest. Cleric. Concil. Carthag. 4. c. 57.*

vel consanguineis (a) in quocumque Tribunali laicali actionem neque criminalem, neque civilem instituant, nisi de nostro permissu, & cum conditionibus expressis in capite Prælatis de homicidio, in 6. alias pœnam unciarum duarum auri solvent, & insuper carceribus ad duos menses mancipandi erunt, nec testimonium ferant in causa sanguinis, sub eadem duplicata pœna, in causis vero civilibus in Judicio sæculari de nostra licentia testimonium ferre permittimus.

4. Tabellionatus, vel Judicis Sæcularis Officium non suscipiant, sicut etiam tutelam testamentariam, vel Curatelã minimè obeundam assumant, sine prævio nostro permissu: Mercaturam & quodlibet negotiationis genus cum usuræ suspicione, non exerceant; in universitatis negotiis peragendis non se immisceant, nisi particularium personarum res administrent, nec pro aliis fidejubeant, nec laicorum etiam magnatum famulatui se se addicant, nec fœminas, quæcumque sint, comitentur: Medendi artem, etjam absque adustione, vel incisione, minimè exerceant, nisi de nostra, & Sedis Apostolicæ facultate. Denique ab omni sordido, & vili quæstù, ac ignominioso exercitio, quod sine ordinis dedecore exerceri nequeat omnino sibi abstinendum esse sciant. Quæ omnia inviolabiliter observari mandamus sub pœna unciarum sex auri, & carceris ad sex menses.

5. Ut omnis incontinentiæ suspicio, vel periculum removeatur ab ordine Clericali, nemini liceat cum mulieribus quocumq; famulatu, ac ministerii causa cohabitare (b) nisi consanguineis, aut ætate grandevis, aut optimi nominis, prævia tamen (quoad has) nostra facultate in scriptis obtinenda; Similitèr a familiaritate suspectarum mulierum omninò se contineant, earum domos non ingrediantur, nec eisdem in propriis agris colendis, tempore præsertim messis, frugum, & vindemiæ utantur, vel in viis se comites præbeant, sub pœna ducatorum decem, qua in re advertant non solum a malo, sed ab omni specie mali cavendum esse; Quod si contingat (quod Deus avertat) ut aliquis in Luxuriæ vitio

---

(a) *Can. duo sunt 12. quæst. 1. Can. Cupiens cum seq. 21. qu. 3. Cap. Sacerdotes ne Clerici, vel Monachi.*

(b) *Cap. si quis Vidua dist. 20. Can. Testimonium Can. nullus 11. quæst. 1. Can. interdixit dist. 32. c. 1. C. Si quisque de cohabit. Clericor. & mul.*

tio, vel concubinatus Sordibus (a) aliave pessima lue se commaculet, & statum Clericalem inventus in fraganti per Executores nostræ Curiæ, modestè, & sine strepitu capiatur in Carcerem trudendus, ibique retinendus, & macerandus spatio sex saltem mensium; si rursus exinde reincidet, carcere per annum, & crescente socordia, suspensione, beneficiorum privatione, ac etiam excommunicatione majori, vel exilio mulctetur.

6. Cum autem ad eos pertineat fideles instruere, idcirco in litteraria studia eos ità incumbere jubemus, ut nedum ignaviæ nota removeatur, verum doctrina, ac litteratura imbuti communi omnium opinione existimentur. Parochi præcipuè ac Confessarii sæpius revolvere conentur opera moralia celebrium Authorum, ut valeant rectè propria ministeria obire. Accedant etiam omnes de Clero ad Congregationem Sacrorum Rituum, Cæremoniarum, & casuum conscientiæ per singulas hebdomadas habendam sub pœna quinque carolenorum pro qualibet vice, applicandorum piis usibus illius Ecclesiæ, in qua Congregatio habebitur, nisi legitimo impedimento, nobis agnito detenti excusentur. Ad studium Theologiæ moralis pariter omnes Clerici, Subdiaconi, & Diaconi conveniant, ad eam scientiam percipiendam sub cura Patris Lectoris, qui semper erit eligendus ex Monachis nostræ Congregationis, quo officio nunc satis laudabiliter fungitur S.T.Professor R.P.D.Xaverius Festa. Ac per Vicarium Generalem fiat taxatio in perpetuum ex proventibus locorum piorum magis opulentium, nempe duodecim aureorum, pro præbenda præfati Lectoris moralis, & sex pro prębenda magistri Cantus Gregoriani. Curent insuper apud se habere libros Cœlestium meditationum, ac Sanctorum historicas narrationes continentes, ut Sacris Lectionibus sibi, & aliis spiritualem pariant profectum. Cæterum omnes nobis subjectos in Domino hortamur, ut abjicientes opera tenebrarum, ac sæcularia desideria induantur Arma lucis, sitq; eorum vita virtutum fautrix, vitiorum profligatrix: In omnibus actibus in incessu, in habitu, Sermone, moribus, Religiositatis, honestatisque speciem cunctis exhibeant, Clerici in minoribus Sacramenta frequenter, ac devotè suscipiant: Ecclesiis quibus adscripti fuerint, inserviant: Numquam dimisso habitu domo exeant, reverentiam, & obsequium Sacerdotibus præstent, ita suos aptent mores, ut digni Sacrorum ordinum promotione existimē-

 tur

a *Trident. sess. 25. de reform. cap. 14. Pius V. Constit. Horrendum Can. si quis. Cleric. dist. 81.*

tur: ijdem, ac omnes de clero honestis exemplis effulgeant, ut reliquos fideles non solum sui ordinis Ministerio, sed potissimùm vita, & morum probitate ad Deum, & ad cælestia dirigant.

7. Cum hactenus nulli Ecclesiasticorum nobis subditorum licuerit hujus Diœcesis fines egredi, aliò transferendo domicilium, vel alibi pernoctando ultra triduum in anno sine nostra scientia, vel in scriptis licentia, sub pœnis, & censuris taxatis in Synodo habita anno 1647. volentes propterea justis de causis, paterna discretione moti scrupulis occurrere, & conscientiis consulere, in posterum indulgemus cuicumque Ecclesiastico trinum, quot annis egressum, & alibi pernoctationem respectivè usque ad quinque dies, pro quolibet egressu sine nostra espressa facultate, dummodo, de eorum regressu certiores nos faciat. Quod si alias, & ultra quisquam fecerit pœna ducatorum sex qualibet vice mulctabitur; si vero contingerit (præter mox indultum trinum liberum egressum) ob instantem, & repentinum casum, aut negotium urgens alio se transferre, sivè pernoctare, & tempus non suppetat ad impetrandum nostrum permissum, poterit illicò discedere; Verum de suo discessu statim nobis, sivè nostro Vicario generali notitiam per Epistolam, aut Nuncium, vel per unum ex suis domesticis præbeat, sub formali obedientiæ præcepto, & pœna, qua supra, cum onere pariter coram nobis se præsentandi statim ac ad propria redierit: Hoc intelligendum erit de incolis Terrarum Mercuriani, & Hospitalecti, tamquam vicinioribus Curiæ: Incolæ verò Terræ novæ Sancti Martini, Sancti Jacobi, & Festularii, utpote remotiores in hujuscemodi non prævisis casibus, adeāt Vicarium foraneum.

## C A P. XXI.

*De Archipresbyteris, seu Parochis.*

1. ARchipresbyteri, seù Parochi dignitas cæteris tum de Clerò, tum de Sæculo honoratior habebitur, si ità mores, actusque suos efformare studeant, ut cæteris Ecclesiasticis, Religione, pietate, & honestate præcellant; proinde virtutes morales conentur excolere, ut tamquam spirituales animarū Pastores, eas in cœlorum ductu præcedant, Meminerint se speculatores esse Domui Israel (a) ac proinde pro gregibus sibi commis-

a Ezech. 33.

missis festinent, ut inquit D. Gregorius, discurrant; *non dent somnum suis oculis (a) ut ministerii sui dignè peracti præmia consequantur.*

2. Archipresbyteri, & Parochi diebus dominicis, & Festis, morali methodo sermocinentur intra sacri celebrationem, vel extra, aut saltem Evangelii currentis sensus explanent iisdem diebus à prandio congregent, vel congregandos procurent per Clericos ad campanæ signum pueros, ac parvulas puellas, & rudiores homines, ut fidei erudimenta, aliaque ad salutem necessaria per se, vel per præfatos Clericos edoceant: Inquirant insuper utrū in suis Paræciis sint publici peccatores, vel impœnitentes, nobisque indicent, ut oves disperditas omni sollicitudine lucrari conemur, suum munus per se ipsos peragere satagant, nisi aliquo legitimo impedimento præpediti nequeant; Sciant ad personalem residentiam se teneri juxta Sacri Concilii Tridentini dispositionem, adeoque non audeant discedere sine nostra facultate sub pœna decem aureorum; Curæ autem sit Vicarii foranei eorum absentiam nobis denunciare sub pœna trium aureorum. Etiam non vocati, ægrotos invisent, ut salutaribus verbis solentur, & si inopia laborent, etiam pecunia, alioque temporali auxilio juvenet: caveant ne ut discedant ex hoc mundo, non susceptis Sacramentis, vel sine animæ Commendatione sub deterrimis nostri arbitrii pœnis: summa solertia parochiales libros custodiant, qui sunt quinque, scilicet baptizatorum, confirmatorum, Matrimoniorum, Status Animarum, & Defunctorum, rursus scripturas, inventaria, instrumenta plateas &c.

3. Expeditos se exhibeant animabus sibi commissis ad Sacramenta administranda, præsertim in excipiendis confessionibus sciant se teneri juxta Sacræ Congregationis Concilii Decretum (b) *offerre Sacrificium pro populo sibi addicto cum distinctione, ut si redditus sint pingues singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festivis:* Curent iidem, ac omnes Ecclesiarum Rectores ut Anniversaria, sive missæ defunctorum celebrentur, ideoque hujusmodi onera exaranda procurent in Tabella, quæ publicè in Sacristia sit exposita.

4. Jura quæ nostro Monasterio competunt (nobis absentibus) ipsi tueantur: Jubemus ut omnes de Clero, intuitu Dignitatis, Ar-

a *S. Greg. hom.* 11. *super Ezechielem.*
b *Trident. Sess.* 23. *de reform. cap.* 1. *Sac. Congreg. Concilii in Lucana* 10. *Maii* 1687.

Archipresbyteris venerationem, & obsequium præstent, in omnibus obtemperent, iis præsertim, quæ vel ad Ecclesiasticas functiones, vel ad reliqua sui muneris ministeria spectant, ac in omnibus his honoratiorem ipsis locum concedant.

5. Ipsorum pariter intererit, Indulgentias sivè perpetuas, sivè ad tempus duraturas Populo denunciare, illumque adhortari, ut conscientia munda, & præviis conditionibus, adimpletisque operibus injunctis, ad illas consequendas accedat; novasque non promulgent, quin priùs ipsarum Diplomata, per Nos, nostrumque Generalem Vicarium visa recognita, & approbata fuerint, sub pœnis nostro arbitrio eisdem infligendis.

## C A P. XXII.

### *De Vicariis Foraneis.*

1. Vicarios Foraneos nostras vices gerere statuimus in illis Diœcesis partibus, in quibus toti esse nequimus utque accuratius suum obeant munus, eisdem, quantum fas est; nostram tribuimus authoritatem; quæ per Pontificias sanctiones, hasue Synodales constitutiones decreta sunt, ab omnibus observari curent. Invigilent super Ecclesiasticorum mores eos quatenus opus sit, verbis redarguendo; Prospiciant, quænam sit diligentia, & alacritas in Sacramentorum administratione, in conferentiis casuum conscientiæ, in edocendis Fidei erudimentis, quis cultus Ecclesiç in Sacris Supellectilibus, in divinis Officiis persolvendis, aliisque sacris functionibus.

2. Si quod delictum à Clericis, vel Laicis ad nostrum pertinens forum patrari contingerit, statim ad nos, vel ad nostram Curiam deferant, & interim corpus delicti, & veritatem excipiant, ac etjam in fraganti repertos detineant, ad nos quamprimum deferendos. Festorum observationem sedulò ab omnibus coli, procurent, ac pœnas a transgressoribus exigant, sicut & Jejuniorum Statutis diebus, nec pro levis momenti causa prævia medicorum consultatione in iisdem dispensent. Quoad lites civiles illas, quæ ad summam carolenorum triginta ascendunt, vel infra ab eis terminari permittimus. Denique in illis Diœcesis finibus iisdem determinatis quidquid per nos fieret si ibidem adessemus peragant. Quapropter ut alacriùs eidem muneri dent operam, præcipimus, ut à cunctis Ecclesiasticis honorentur. Nequaquam tamen præcedant Archipresbyteros, seù Parochos in Choro, Processionibus, aliisque

que facris actionibus nisi in actibus jurisdictionalibus, vel in quibus nostræ Personæ vices gerunt.

## C A P. XXIII.

### *De Foro nostro Ordinario Abbatiali.*

1. UT pondus regendi nostram Diœcesim levius nobis evadat, auxilio Vicarii Generalis indigemus; qui virtute Apostolicarum Constitutionum nostræ Benedictinæ Congregationis Montis Virginis eligendus semper erit è Collegio Abbatum ejusdem Congregationis, cui illam impartimur facultatem, quæ non tantùm cæteris Vicariis generalibus per generale, verùm, & quæ per speciale mandatum quomodocumque competit, prout hactenus in praxi in hac nostra Curia observatum fuit salvis iis, quæ nostram supremam Authoritatem de Jure, & de more tangunt; studeat idcircò & ipse non solum clericorum delicta, sed quæcumque ad nostrum forum spectantia diligenter inquirere, ac condigna pœna mulctare. Causas pauperum celerius expediat, non instituto Judicio, sed tantummodo rei veritate explorata, & gratis quidem acta fieri procuret. In cœteris verò causis dilationes, cavillationes, ac alia juridicorum inventa dirimat, ut jus suum cuique, quam citius tribuat: Caveat ne munera pro causarum expeditione, vel sui muneris exercendi intuitu recipiat; statutis diebus, & horis publicam in Curia omnibus audientiam præbeat.

2. Pro causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus observetur non solum taxa Innocentiana (*a*) sed etiam, quæ instituta, & recepta fuit in præcedenti Synodo de anno 1709. Pœnas pecuniarias à violatoribus nostrarum Sanctionum exigendas piis usibus applicet, & non sibi cum aviditatis nota arroget. Curet denique custodiri Archivium nostræ Curiæ, omnesque scripturas in eo contentas: Nostri fori jura, magna animi constantia tueatur, pariterque bona Ecclesiarum Privilegia, indulta: Cum aliquid maximi momenti contingerit, sivè quoad supradicta, sivè quoad reliqua nobis insciis non procedat; sed quid agendum & quomodo definiendum sit à nobis accipiat, & cum voto insuper Ordinarii Curiæ Consultoris ad decreta diffinitiva, vel quasi deveniat de more.

CA-

a *Taxa de mandato Inn. XI. confecta à Sac. Congreg. Concilii Octobris 1678.*

## CAP. XXIV.

*De Ministris Curiæ Abbatialis Familiaribus, servientibus, aliisque personis à Foro laicali exemptis.*

1. NEdum alterius à nobis Vicarii scilicet generalis operâ verum, & aliorum Officialium, & ministrorum indigemus, ut regiminis sarcinam substinere valeamus, iis enim nostræ Curiæ ministeria distribuendo, facilius corpori nostræ Diœcesis universo preesse simul, & prodesse dicemus. Quemadmodum enim caput, quod primas inter cœtera corporis membra tenet, horum ministerio ad vitales functiones obeundas utitur, & velut primum mobile vivens mirabili dominatu inferiores dirigit potentias, vicissimque ab iis in suo juvatur munere, ita non dispari ratione per Curiæ nostræ, cujus nos capitis honorifico titulo Deo indulgente, decoramur Officiales, velut per discriminatos artus varia munera peragemus, eisdemque utpotè Ecclesiasticæ officiaturæ adscriptis exemptionem a laica potestate competere nemo ignorat. De singulis eorumque muneribus subnectere hic præsens caput operæ pretium duximus.

2. Præter Vicarium nostrum Generalem, de quo supra fusius disseruimus, cujus titulo nunc insignitur ob suæ spectatæ prudentiæ, justitiæque meritum Reverendiss. P. Abbas D. Franciscus Maria Ursus adderit etiam assessor seu Consultor, in nostra Curia pro causis universis, tam civilibus, quam criminalibus, quam mixtis, insuper & ad Sanctum inquisitionis officium pertinentibus hujus authoritas eo censetur præcellentior, quo dignius navat opus ipsius etenim est summa rectitudine, & æquitate suis consiliis, & votis in diffinitivis, vel quasi sententiis ferendis nostrum dirigere forum: Hoc præcipuum nostræ Curiæ munus in præsentiarum satis laudabiliter sustinet perillustris, ac Reverendissimus Dominus D. Joseph Colucci Primicerius Cathedralis Ecclesiæ Abellinensis, & ejusdem Diœcesis Meritissimus Generalis Vicarius.

3. Fisci etiam Ecclesiastici partes obeundas tradimus juxta antiquam nostræ Curiæ consuetudinem, atque addicimus Cellarario nostro Majori. Ipsius enim erit instare adversus criminosos, cautè Ecclesiæ Jura, utilitatesque proponere, denunciare retinentes, occupantes, vel cedentes bona, seù prædia, vel proventus quomodocunque ad Ecclesiam, vel ad nostram Mensam Abbatialem

lem, sivè ad nostrum Regale Montis Virginis Majoris cœnobium, & ad Lauretanam domum pertinentia, huic muneri sedulam operam navat ad præsens admodum Reverendus P. Prior D. Hieronymus Guarini, qui sicuti laudabiliter nostræ Congregationis varia exercuit munera, ita nunc etiam Cellararii majoris, & Fisci exactè officium gerit. Cum autem præfati Fisci partes in totum, ac omni qua condecet juridica ratione ab eodem Cellarario aliis nostri Monasterii negotiis implicato, nequaquam substineri valeant: Confirmamus in ejus adjutorium Procuratorem Fiscalem, qui vices Fisci zelet, prudenter peragat instetque juridicè coram nostro Tribunali in antedictos criminosos, seù delinquentes, jura, privilegia, aliasque utilitates nostræ Curiæ promoveat, atque substineat, ut verè sicut Procuratoris nomen petit, ità ejus expleat munus. Hoc ad præsens præstat doctissimus Juris utriusque Professor Clericus Marius Pretioso Mercurianensis Patritius.

4. Cancellarius item nostra Curiæ Abbatialis de nostrorum Monachorum gremio, ut moris est, assumatur, qui alio nomine Actuarii, seù Magistri Actorum nuncupatur. Ad eum attinet processus, acta, & Scripturas conficere, subscribere, & sigillo munire, atque in Archivio recondere omnique solertia custodire: Hoc titulo decoratur in præsentiarum præclarus P. D. Ferdinandus Rossi, in cujus adjutorium, & supplementum denuò eligimus, & confirmamus Cancellarii foranei titulo, sivè procancellarii, egregium spectatumque virum ac Patricium Terræ Hospitaletti magnificum Josephum de Leonardis. Omnes, & singuli ex supradictis nostræ Curiæ Ministri, etiam si essent in statu laicali, utpote Ecclesiastico Ministerio adscripti, & privilegio Fori gaudentes, atque a laica potestate quacumque excepti nequeant tam in civilibus, quam in criminalibus vexari, vel coram Judice Sœculari in Judicium trahi, insuper neque ad onera personalia, neque realia persolvenda cogi queant, nec perturbari in his, aliis que rebus sub pœna violatæ immunitatis, ac per consequens excommunicationis majoris Summi Pontifici reservatæ: Poterit insuper noster Vicarius Generalis alios similes Officiales eligere pro causis inquisitionis, sivè Sancti Officii ad nos pertinentibus, qui pariter gaudeant immunitate cœterisque exemptionibus, quibus gaudent prætacti nostræ Curiæ Ministri.

5. Nomine exemptorum etiam intelligi volumus Clericos conjugatos, illos scilicet, qui in minoribus constituti, vel prima tonsura initiati, habitû Clericalem deferentes, cum unica, & Virgine matrimonium ineunt, & Ecclesiæ alicui adscripti inser-

viunt: hos enim ex constitutione Bonifacii VIII. (a) per Tridentinum innovata, Privilegio Fori, & Canonis gaudere nulli dubitandi relinquitur locus. Simili ratione Diaconos Sylvaticos nuncupatos de nostro mandato alicui Ecclesiæ, vel nostræ Curiæ pro famulatu adscriptos eximi a laica potestate, tali tamen discrimine, ut privilegio Fori tantum, non autem canonis gaudeant (b) juxta sacrorum Canonum statuta, omnibus liquet: Ad hujusmodi munus non assumendi erunt, aut mali nominis Viri, nec ultra duos pro qualibet Archipresbyterali Ecclesia, in reliquis verò Ecclesiis minoribus unus sufficiat, & ne adaugeatur in præjudicium laicæ potestatis, exemptorum, sivè patentatorum inanis numerus, de ijsdem Cursores, seù Servientes eligantur, qui postquam commissionis patentales literas acceperint jure jurando penes acta Curiæ præstito de fideli famulatu obeundo fideliter, exacteque in suo se gerant munere: Caveant tamen, ne exemptionis fiducia innixi, plus æquo se se extollant, protervè insolescant, ac facinorum libertati se dedent sub pœna carceris formalis ad tres menses, ac expulsionis a servitio Curiæ; de istorum cætu aliqui etiam deputentur pro Speciali commissione in causis ad Tribunal Sancti Officii Spectantibus, gaudeantque exemptionibus, quibus de Jure gaudere solent, & debent omnes qui dicuntur de familia Armata.

6. Huc etiam ratione exemptionis recurrit de Eremitis Sermo, qui olim e missa professione in manu Episcopi, verè Religiosi erant (c) nunc verò de illorum numero non sunt habendi, exempti tamen a quacumque laica potestate, utpote nostræ Curiæ subditi censentur. Nemo idcircò Eremitarum habitum deferendum assumat sine nostro, vel generalis nostri Vicarii permissu. Postquam verò probato spiritu, utrum sint a Deo an à Sathana ducti eremitico amictu indui eis concessum erit, in incertum vagari non sinimus, sed servitio alicujus Ecclesiæ, seù Oratorii ruralis adscripti inibi orationis, penitentiæ, ac solitudinis studio sedulò incumbant facta prius apud nostram Curiam promissione de obedientia nobis, nostrisque successoribus præstanda: Archipresbyteros, & Pa-

a *Bonifacius VIII. in cap. unico de Cler. Conjug. in sexto Trid. sess. 23. de Ref. cap. 6.*

b *Can. Eccles. Servus 12. q. 1. cap. Judicatum de Immunit. Eccles. cap. nullus Judic. de foro compet. cap. cum Episc. de Offic. ordin. in 6.* c *S. Ambrog. de Sacerdot. dignita. Cap. 3. Sinod. Constant. c. 42.*

Parochos pervigiles esse monemus super horum mores, & circa Ecclesias seù Oratorii eorum Curiæ demandata, bisque in anno nobis in scriptis denuncient eorum qualitates, & actus: Advenæ eremitæ nullatenus suam collocent sedem intra nostræ Diœcesis fines (*a*) nisi testimonium in scriptis de eorum vita, & moribus aliis, que requisitis exhibeant; Sæpius enim compertum est, sub Religionis, pietatisque titulo homines facinorosos, pseudomonaches, ac cœteros improbos flagitiosam contegisse nequitiam. Demum cum Eremitas exemplariter, ac sanctè degere congruat, caveant, ne aliquid minus rectum verbo, vel facto ostendant, quo irreligiosi animi indicium præbeant, maximè evitent, mulierum colloquia, & familiaritatem (*b*) nulleque prætextu eas in suis habitaculis ingredi, vel pernoctare finant, sub pœna Carceris per tres menses, & amissionis eremitici Privilegii. Ad cauponas non accedant nisi animo quæstuandi: Noctu non exeant nisi urgenti ex causa, a suis hospitiis non absint, ultra triduum absque Vicarii Generalis facultate, delinquentes suis in ædibus nequaquam receptent; Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta singulis quindenis devotè suscipiant; Denique in quæstuando modestiam, & tolerantiam ostendant.

7. Quod de Eremitis huc usque, etiam de Bizochis, seù de domesticis monialibus habita proportione statuendum indicimus, hæ enim emisso simplici voto sub religioso habitu vitam traducant id autem fieri non sinimus nisi sint probatæ vitæ & non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo, vel secundo gradu conjunctis cohabitent; Prohibemus etiam iisdem sub excommunicationis pœna deferre scapulare, seù patientiam, aut velum supra caput, vel pectorale, quod vulgo subcannum dicitur (*c*) hæc enim sunt Sanctimonialium in Claustris degentium distinctiva; neque permittimus eas uti pallio, quod alio nomine mantum nuncupatur ob varios in nostro cogitatu recondito respectus. Interdicimus etiam ipsis per plateas vagari, domos alienas lustrare, Choreis, vel aliis profanis spectaculis adesse, ac Sæculi negotijs se ingerere, sed ut plurimum se domi contineant, vel in Ecclesiis morentur in Spiritus Solitudinis, aliorumque piarum exercitationum.

 8.

a *Can. quidam Monach. 16. quæst. 1.*
b *Can. pervenit 18. quæst. 3.*
c *S. Congr. Episc. 20. Decembr. 1616. Can. placuit Can. Juvinculas 20. q. 1. Can. Diacon. Can. Vidua 27. q. 1.*

8 Cum autem verba fecerimus de exemptis a foro laicali, consonum est, ut etiam, de his, qui a nostro foro Abbatiali eximuntur, vel eximi student, aliquid subnectamus. Omnes Ecclesiasticos intra nostræ Jurisdictionis fines morantes, nobis subiici ex juris cõmunis dispositione patet (*a*) iis exceptis, qui privilegio exemptionis gaudent, ostendere tamen tenentur titulum, quo immunes probantur: Propterea Prothonotarii, Cappellani Regii, & reliqui titulis honorariis, seu insignibus in Romana Curia vel extra gaudentes, (nisi actu exerceant, & intra eorum septa resideant, quorum jurisdictioni se subiacere asserunt) Ordinarii Authoritati tamquam Delegati Apostolicæ sedis prorsus subjaceant juxta Tridentinum, & quoad Cappellanos Regios juxta constitutionem Innocentii III. Clerici item seu Presbyteri, qui officio subcollectoris, vel Commissarii Nuntiaturæ Apostolicæ funguntur, licet sint à Jurisdictione Ordinarii immunes, attamen conditionibus appositis locis infra citandis (*b*) Cæterum quilibet ex supradictis quantumvis immunis a nostra ordinaria Jurisdictione potest à nobis corripi quoad spectantia ad divinum cultum, & indecentiam servitii Ecclesiæ, puta si celebrantes, vel divina officia peragentes defectuosè se gerant, tum in vestibus, tum in reliquis. Item si non servent paschale præceptum comunionis, si percutiant Clericum, vel lædant Ecclesiasticam libertatem, vel immunitatem poterimus in his procedere ad declarationem excommunicationis; demum reperti in flagranti detrudentur in Carcerem, statimque certioretur Apostolicus Nuncius ad quem quamprimum remittendi erunt &c.

## C A P. XXV. ET ULTIMUM.

### *De Constitutionibus Synodalibus.*

1. QUidquid huc usq; ad profectum tũ Ecclesiasticorum, tum reliquorum fidelium sancivimus utpote maxima ex parte ex Sacris Canonibus, pontificiis sanctionibus & antiquis nostræ Diœcesis Synodalibus constitutionibus excerptum, ità

---

a *Càp. 1. cum seq. de offic. ordin. cap. in singulis cum seq. de statu Monach.*

b *Literæ Encielycæ S. Congr. Conc. de mandato Innocentii XI. 17. Feb. 1677. Eadem S. Congr. in Fundana 23. Junii 1663. Greg. XIII. Const. cupientes 14. Jan. 1575. tom. 2. Bullarii.*

rei valdè honorificum, ac saluberrimum esse judicavimus, ut honoris gratia tot sacrarum Authoritatum, quas ferè ad literam in hac Synodo transcripsimus, ab omnibus servari præcipimus, ac non tamquam imperantis personæ mandata, sed solertis Patris, ac Pastoris monita recipi, ac executioni demandari.

§. 2. Et quia iniquitatis filii (quorum mores in dies magis, magisque relaxari compertum est ex perniciosa impunitatis spe) peccandi consuetudinem minimè deserunt: idcirco jubemus, ut quæ in hac sancta Synodo sunt decreta, maxima vigilantia, ac solicitudine noster Generalis Vicarius inviolabiliter exequi curet, exigendo ex contumacibus hic taxatas pœnas, non verò taxatas, ejus, sive nostro discreto, & prudenti arbitrio relinquentes; ut quos culpa non terret, saltem pœna constringat; Declarantes quod statim post præsentis Synodi impressionem, & manumissionem, ita omnes obligent, ac unicuique personaliter intimatæ essent, similiter constitutiones Synodales ab Illustrissimis, & Reverendiss. Prædecessoribus nostris D. Urbano de Martino anno 1647. & Cherubino Salerno anno 1709. habitas confirmamus, quoad ea quæ præsentis Synodi Sanctionibus non contrariantur. Quemadmodum statuta saluberrima elapsis annis 1693. & 1696. a duobus Beneventanis Conciliis Provincialibus sancita, sub amplissimo, & omnium virtutum ornatissimo ter Eminenti Domino Cardinali, & Archiepiscopo Fratre Vincentio Maria Ursino, in quibus nostri Prædecessores ut eligentes convenere, ut par est, in hac Diœcesi observari mandamus. Harum verò Constitutionum codicem, postquam typis mandatæ fuerint apud se omnes Ecclesiastici habeant, & assiduè perlegant; Demum ob reverentiam Apostolicæ sedis præfata omnia subjicimus correctioni, & infallibili Judicio Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ XI. Christi in Terris Vicarii, & totius Catholici Orbis amantissimi Patris, & vigilantissimi Pastoris.

*D. Gallus Gallucius Abbas Generalis, & Ordinarius*

Locus ✠ Sigill.

RO-

# ROGITUS ACTORUM

*IN DEI NOMINE AMEN.*

PRæsenti publico Instrumento cunctis pateat evidenter, & notum sit, qualiter anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo septimo, indictione octava, Die verò vigesima octava mensis Junii Vigilia SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Pontificatus in Christo Patris, & Domini nostri Clementis divina providentia Papæ XI. anno decimo septimo. Mercuriani, & in majori sive Archipresbyterali Ecclesia ejusdem Castri Mercuriani, sub vocabulo D. Petri, præsidente ibi Illustriss. & Reverendiss. Patre, & Domino D. Gallo Gallucci S. T. P. Dei, & Ordinis gratia Abbate Generali Benedictinæ Cōgregationis Montis Virginis, ac Ordinario in Spiritualibus Diœcesis Sacri, & Regalis Monasterii Montis Virginis Majoris, Nullius &c. Eidem morem Facientibus Reverendiss. PP. Abbatibus Definitoribus Generalibus, ac Visitatoribus ejusdem Congregationis Domino Bartholomæo Surrentini, & Domino Severino Pironti, Reverendissimo P. Abbate Domino Francisco Maria Ursio Vicario Generali dictæ Diœcesis, ac Reverendiss. P. D. Berardino de Ciutiis Abbate Monasterii D. Virginis ab Angelo nunciatæ de Casamarciana, Reverendiss. P. D. Urbano Martini Abbate Monasterii Montis Virginis de Neapoli, M. R. P. Priore D. Honuphrio de Fiori à secretis præfati Illustriss. M. R. P. Priore D. Hieronymo Guarini Cellarario Majori jam dicti Sac. & Reg. Monasterii, aliisque compluribus Patribus supradictæ Congregationis, una cum MM. RR. Archipresbyteris, Parochis, Rectoribus, Beneficiatis, ac cœteris Ecclesiasticis hujus Diœcesis Montis Virginis, qui de jure, dictæque Diœcesis consuetudine ad Synodum Diœcesanam tenentur, per Edictum priùs legitimè promulgatum, & affixum, vocatis, ibique ad præfatam Synodum habendam, legitimè congregatis. Post processionem ab Ecclesia sub titulo D. Stephani extra muros directam ad dictam Archipresbiteralem D. Petri, & post Missam Pontificalem de Spiritu Sancto ab ipso Illustriss. cantatam, & sermonem per mox recensitum Reverendiss. P. Abbatem Ursium habitum, omnia, & singula pro ipsa aperitione Synodi in actis redacta, fideli-

liter enarrata, gesta, & peracta fuere, una cum fidei professione, emissa ab omnibus, & singulis, qui illam de jure emittere tenebantur; quibus habitis indicta fuit sessio pro Vesperis ejusdē Diei, ad horam decimam nonam. Qua die, & hora pariter, per dictum Illustriss. Præsulem Pontificaliter cantatis Vesperis, post orationem, aliaque in Cœremoniali Romano præscripta, instante, ac petente Rev. Sacerdote Dom. Luca Longo Portionario Ecclesiæ præfatæ D. Petri, & hujusmet Synodi Promotore, fuerunt alta, & intelligibili voce lecta, ac publicata ex Pergamo decreta Synodi præliminaria, ut in actis per Rev. Sacerdotem D. Philippum de Stephano ejusdem Synodi Secretarium, atque indicta tertia, & ultima sessio pro mane sequentis diei. Adveniente autem mane illius diei, quæ fuit vigesima nona ejusdem mensis Junii, convenerunt omnes, qui supra ad eandem Divi Petri Ecclesiam, ubi adhuc per Illustrissimum Præsulem cantata Missa de SS. Apostolorum Principibus, quorum festivitas recurrebat, ad istantiam, & petitionem ejusdem Promotoris Synodi, fuerunt per eumdem Secretarium, omnibus audientibus, & intelligentibus lecta, & publicata è suggesto omnia, & singula Decreta Synodalia in vigintiquinque capitibus digesta, & contenta, nempè à primo capite quod inscribitur *De Catholica fide tuenda, ejusque professione, & Doctrina Christiana* usque ad cap. 25. & ultimum cui titulus *De Constitutionibus Synodalibus*: quæ ab eodem Illustrissimo, & Reverendissimo Præsule subscripta fuerunt, & nemine discrepante, aut protestante in contrarium tam de universo Diœcesano Clero, quam de Magistratu, & Regimine Universitatum Terrarum Mercuriani, & Hospitaletti ibidem ad hoc convocatis, & præsentibus, fuerunt ab omnibus serio, & cum plausu acceptata.

Ac prædictis omnibus, prout pariter in actis exprimuntur expeditis, fuit per suprascriptum Secretarium publicatum Decretum de Synodi dimissione, & demum præstita ab omnibus obedientia per manus deosculationem ipsi Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Patri Abbati Generali, & Ordinario, cum eorumdem solemni Benedictione, fuit pro gratiarum actione inchoatus, & persolutus Hymnus: *Te Deum Laudamus* una cum precibus, orationibus, Acclamationibus, & Cœremoniis in Cœremoniali Romano præscriptis, atque sic dimissa dicta Synodus fuit. De quibus omnibus, & singulis. Ego D. Ludovicus Maria Jordanus publicus apostolica auctoritate Notarius, dictæque Synodi Notarius specialiter electus, per præfatum Synodi Promotorem rogatus, præsens publicum Instrumentum confeci, scrip-

si, & subscripsi, publicavi, meoque solito signo signavi requisitus adhibitis pro testibus Reverẽdo Domino Nicolao Bonafede, Reverendo Domino Thoma de Leo, Clerico J.V. P. Mario Prætioso, & aliis ad præmissa omnia, & singula vocatis, habitis specialiter, atque rogatis. Et ad Fidem &c.

*Ego D. Ludovicus Maria Jordanus Apostolica auctoritate Notarius &c.*

✠ Locus signi





# APPENDIX

## AD

## PRÆCEDENTEM SYNODUM.

# INSTRUCTIO

Pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis cœterorum Ordinariorum.

*Appartiene al Cap. X.*

1. Testis moneatur de gravitate juramenti in hoc presertim negotio pertimescendi, in quo divina simul, & humana majestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quod imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, Patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An sit civis, vel exterus, & quatenus sit exterus, à quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit spontè, vel requisitus: Si dixerit accessisse spontè a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax. Si verò dixerit accessisse requisitum, interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coramquibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit ali-

quid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, vel conditionis.

*Si responderit negativè, Testis dimittatur; si verò affirmativè,*

7. Interrogetur; an contrahere volentes sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum verò eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitimè, & concludentur deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ absque eo, quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

*Si verò responderit contrahere volentes esse Cives.*

8. Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarint, vel habitent de præsenti.

9. Item an ipse Testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

*Si verò testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra.*

10. Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, &c. & quod ipse Testis nesciat.

*Si responderit affirmativè, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter, non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum &c.*

*Si verò responderit negativè*

11. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deindè Judex colligere poterit, an testi sit danda fides.

*Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritũ sed esse mortuos.*

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat fuisse Conjuges, & nunc esse mortuos.

Et

Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi priùs recepto testimonio authentico à Rectore Hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri poterit à Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat miles, si tamen hujusmodi testimonia haberi non possint, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodò sint legitimæ, & sufficientes;

13. Interrogetur, an post mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

*Si responderit negativè*

14. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota absque eo, quod ipse Testis sciat.

*Si responderit affirmativè, supersedeatur in licentia, donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.*

*Si verò negativè*

15. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel nè:

*Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. Multi sess. 24.*

Fides, aliæque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, & sigillum attentè consideretur, quod fides, seù testimonia benè, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quàm extranei, quia præsumuntur meliùs informati, & cives magis, quàm exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio. Et Notarius exactè describat personam testis, quem si cognoscit utatur clausula, mihi bene cognitus, sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cògnita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum, & hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputatus ab Eminentissimo Vicario, & extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia Persona insignis, & idonea ab Episco-

ſcopo ſpecialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis, in eorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro matrimoniis, cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, à quò, vel ejus Generali Vicario priùs teneatur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium, &c.

*Contravenientes autem ſeverè puniantur.*

# DECRETA

## Circa Validitatem Electionis Sepulturæ

*Appartiene al Cap. XIV.*

## INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei Memoriam.

DUdùm à Congregatione tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ad ſupplicationem, tum exiſtentis Commendatarii Abbatis, Parochialis Eccleſiæ S. Joannis Majoris nuncupatæ Civitatis Neapolitanæ emanavit Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet Neapolitana electionis ſepulturæ libellus infraſcripto verborum tenore conceptus: Eminentiſſimi Commendatarii Abbatis, & Parochialis Eccleſiæ Sancti Joannis Majoris nomine huic Sacræ Congregationi Concilii porrectus fuit.

*EMINENTISSIMI, E REVERENDISS. SIGNORI*

*PEr evitarſi le controverſie, che per cauſa dell' elezione di Sepoltura, e di Funerali ſogliono avvenire non ſenza ſcandalo de' Fedeli, ſono l'Eminenze voſtre ſupplicate dal Commendatario dell' Abbazia, e Chieſa Parrochiale di S. Giovanni Maggiore di Napoli per la riſoluzione de' ſeguenti dubbii.*

*Primo, ſe ſia valida l'elezione di Sepoltura, che ſi fà nella preſenza del Parroco da chi è Sano, ò Infermo.*

*Secondo, ſe al valor dell' elezione della Sepoltura ſi richieda il teſtamen-*

*stamento dell'ultima volontà, overo basti, che si eligga innanzi per altro atto publico, che non sia testamento.*

*Terzo, se sia nulla essa elezione di Sepoltura, quando s'elegge eziandio per testamento fatto in vita, e non in morte.*

*Quarto, se chi hà Cappella di sua famiglia con sepoltura propria, ò si comprasse Cappella con propria Sepoltura, morendo senza elezione, si debba sepellire nella Cattedrale.*

*Quinto, se sia valida l'elezione della Sepoltura fatta nella presenza di due, ò più testimonii.*

*Sesto, se l'elezione della Sepoltura fatta per* nutum, *e per* signa *in caso, che tal'uno non possa parlare, sia valida.*

*Settimo, se li Fratelli delle Confraternità si possano sepellire nella Sepoltura della loro Chiesa, non facendo elezione d'altra.*

*Ottavo, se l'Elezioni della Sepoltura, le quali* de jure præsumuntur, *come quella della Moglie rispetto al Marito, de' Figli rispetto al Padre, e loro maggiori, de' Schiavi rispetto a' Padroni, e simili, siano valide: Che è quanto dall'Eminenze vostre benignamente si desidera dichiarare, e'l tutto &c.*

Quæritur quid ad singulas prædictas dubitationes respondendum?

Die 13. Februarii 1666. Sacra Congregatio Eminentissimor. S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum.

Ad primam: censuit esse validam, dummodo Parochus non attestetur ad proprium commodum.

Ad secundam: censuit non requiri necessariò testamentum.

Ad tertiam: censuit non esse nullam.

Ad quartam: non esse sepeliendum in Cathedrali.

Ad quintam: esse validam.

Ad sextam: esse validam, dummodò sufficienter constet de voluntate eligentis.

Ad septimam: negativè.

Ad octavam: censuit, quatenus electa non fuerit Sepultura, uxorem in sepultura ultimi viri sepeliendam, filios verò in sepulchro majorum, servos autem in Parochia. Ita reperitur in Regesto Decretorum lib. 25. fol. 29. ejusdem Sac. Congregationis. In quorum fidem &c. Datum hac die 29. Junii 1682. Ita est A. Altovitus S. C. Secretarius. Locus † Sigilli. Cum autem, sicut dilecti filii Electi dictæ Civitatis Neapolitanæ Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi, quò firmiùs subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summoperè desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulas personas, à quibusvis excom-

muni-

municationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati. Decretum præinsertum, auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illiq; inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate præfatæ Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contingerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cœterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 12. Julii 1682. Pontificatus nostri anno sexto.

IGSLUSIUS

## Indulgentiæ concessæ iis, qui Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad Infirmos pro Viatico defertur, comitati fuerint.

*Appartiene al Cap. VI.*

INnocentius Papa XI. fel. rec. omnibus, ac singulis utriusque sexus Christi fidelibus ubilibet commorantibus, qui devotè comitati fuerint Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad Infirmos pro Viatico defertur, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpationone, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, si cum lumine, septem annos, ac totidem quadragenas, si verò absque lumine, quinque annos, & totidem quadragenas ex injunctis eis pœnitentiis, aut eis quomodolibet debitis in forma Ecclesiæ consueta misericorditer in Domino relaxavit. Declarans Indulgentias præ-

præfatas, sive pœnitentiarum relaxationes singulis Christi fidelibus suffragari posse, ac debere non cumulativè cum aliis similibus Indulgentiis à Summis Pontificibus suis Prædecessoribus concessis præmissa peragentibus, sed privativè quo ad eas quascumque. Prout ex Brevi Apostolico sub datum Romæ apud Sanctam Mariã Majorem sub annulo Piscatoris die 1. Octobris 1678. Pontificatus sui anno secundo.

# S E R I E S

## SYNODALIUM EXAMINATORUM

In præsenti Synodo legitimè per verbum *Placet* electorum, donec altera Synodus habeatur.

Reverendiss. P. Abbas D. Isidorus de Angelis, Decanus Sacri, & Regalis Monasterii Montis Virginis majoris, & successores Decani, qui pro tempore erunt.

Reverendiss. PP. Abbates D. Bartholomeus Surrentini, & D. Severinus Pironti Definitores Generales, & Visitatores Congregationis Montis Virginis, & eorum in officio Successores.

Reverendiss. P. Abbas D. Franciscus Maria Ursius Vicarius Generalis Jurisdictionis, ejusque successores.

Reverendiss. P. D. Urbanus Martini Abbas Monasterii Montis Virginis de Neapoli.

Mult. Rev. I. V. P. D. Flavianus Pretiosus Archipresbyter Terræ Mercuriani, & successores.

Mult. Rev. I. V. P. D. Joannes Berardinus Torti Archipresbyter Terræ Hospitaleti, & successores.

Mult. Rev. P. Prior D. Honuphrius de Fiori à Secretis Illustriss., & Reverendiss. P. Abbatis Generalis, & ejus in officio successores.

Mult. Rev. I. V. P. D. Dominicus Jacenna Parochus Vallis Mercurianiani, & successores.

Rev. P. D. Ferdinandus Maria Rossi Cancellarius Curiæ Abbatialis, & successores.

Rev. P. D. Xaverius Maria Festa Lector Moralis Cleri Mercurianensis, & successores.

Ven. Presbyter D. Augustinus Scusale à Mercuriano.

Ven.

Ven. Presbyter D. Lucas Longo à Mercuriano.
Ven. Presbyter D. Philippus de Stephano ab Hospitalecto.

*Judices Synodales, quibus causa per Sedem Apostolicam delegari possint, & in Regularium Conservatores eligi valeant.*

Idem qui supra MM. RR. Archipresbyteri Mercuriani, & Hospitalecti, Parochus Vallis Mercuriani, & Parochus S. Martini de Feudo Montis Virginis.

# DECRETUM

## SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII,

### Super applicatione Sacrificii à Parochis in Lucana.

*Appartiene al Cap. XI.*

CUm præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, sæpè aliàs Sacra Congregatio Concilii censuit Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem diebus festis. Idem nunc censet, quoad Parochos istius Civitatis, & Diœcesis, hoc insuper addens, ut detrectantes Eminentia Vestra pro suo Pastorali Zelo compellere non gravetur. Hanc Sac. Congreg. Sententiam Em. V. significo, eique manus humillime deosculor. Romæ 10. Maii 1681.

Humillimus, & Addictissimus Servus

F. CARD. COLUMNA.

*Stephanus Archiepiscopus Bramatius S. C. Secret.*

DE-

# DECRETUM

## Sac. Congregationis Concilii de diebus licitę vacationis à celebratione Missæ

*Collensis celebrationis Missarum.*

MOdernus Episcopus Collensis Diœcesis visitando comperit non sine maximo cōscientiarum periculo, plures irrepsisse abusus in adimplendo mentem eorum, qui Missas celebrari mandarunt. Ad eos ergo tollendos, discutiendum, atque resolvendum videtur.

1. An Sacerdotes, obligati ratione Beneficii, Cappellaniæ, Legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per seipsos, possint aliquandò à celebratione vacare? & quatenus affirmativè.

2. Quandò, & quoties a dicta celebratione vacare possint?

3. An diebus licitæ vacationis possint Missam pro seipsis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebrare? & quatenus affirmativè:

4. An pro aliis celebrando, possint stipendium pro hujusmodi celebratione percipere?

5. An illis diebus quibus licitè vacant à celebratione, teneantur Missam ab aliis celebrari facere, juxtà intentionem Fundatorum?

6. An Sacerdotes, ut supra obligati celebrare Missam quotidiè absque tamen onere celebrandi per seipsos, possint aliquando à celebratione vacare?

Die 18. Septembris 1683. Sacra Congregatio Eminentissimorū S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum, & secundum respondit affirmativè; concurrente aliqua rationabili causa. Ad tertium, quartum & sextum negativè: Ad quintum distulit resolutionem.

Ita reperitur in Regesto autographo Decretorum ejusdem sacræ Congregationis lib.33.fol.311. In fidem, &c. Hac die 30. Maij 1699.

Loco ✠ Sigilli

*Fr. Nuptius S.C.C. Secretarius.*

# TABELLA DE' CASI

L'assoluzione de' quali riserba à se l'Illustrissimo, e Reverendissimo Ordinario della Diocesi di Monte Vergine nel Sinodo de' 29. di Giugno del 1717.

*Appartiene al Cap. VII.*

1. La Bestemmia contro Dio, la Beatissima Vergine per ogni volta, e per quattro volte contro gli altri Santi.

2. Il volontario Omicidio, così con ferro, come con fuoco, veleno, ò altro mezzo, e tanto rispetto à gli esecutori, quanto à coloro, che commettono, ò mandano, e consigliano; nel veleno s'intende anche non seguito l'effetto.

3. La colpabile inosservanza de' giorni festivi per quattro volte.

4. La copola perfetta incestuosa nel primo, e secondo grado sia di consanguinità, sia d'affinità legitima, ed il commercio carnale frà quelle persone, che hanno tra di loro contratto parentela spirituale, come trà compari, e commari, e tra Parochi, e Confessori, e loro Parochiani, e Penitenti.

5. La sodomia perfetta per l'uno, e l' altro sesso, oltra le tre volte.

6. Il peccato di Bestialità per ogni volta; s' intenda però là riserba, così di questo, come degli altri due immediati precedenti casi, solo per gli huomini adulti, non già per li fanciulli sino all'età di quattordeci anni compiuti, e generalmente se ne escludono le donne in ogni età.

7. La frode, ò impedimento colpevole intorno alla sodisfazione delle Decime.

8. Il non deponere in giudizio la verità, o pure deponere il falzo, ancorche senza pregiudizio del Terzo.

9. A' Padri, e Madri l'ammettere ne'loro letti i loro Bambini fino all' età di un anno à dormire con essi loro, e li loro figli d' anni dodici, ò che fanno dormire nell'istesso letto gl'istessi loro figli Maschi, e Femine nella medesima età.

10. Per li Medici, che visitano per la terza volta gli ammalati di febre essenziale continua, quando quelli non siano sagramentalmente confessati.

11. Per gli Sposi de futuro, che coabiteranno, praticheranno, ò haveranno commercio carnale con le loro spose, dopo che hauranno celebrato i Capitoli Matrimoniali.

---

# TABELLA DE' CASI

Riserbati al Sommo Pontefice Romano nella Bolla detta in *Cena Domini*;

*Che da ogni Paroco dovrà leggersi al Popolo nel Giovedì Santo, dopò, che aurà riposto i Sacrosanti misteri nel Sepolcro.*

1. SI scommunicano, & anatematizzano gli Eretici di qualunque setta, i fautori degli stessi; quei, che leggono, tengono, ò stampano i libri de' medesimi, e gli scismatici.

2. Que', che appellano dal Sommo Pontefice al futuro Concilio, ed i loro fautori.

3. I Corsari, ed i lori Ricettatori, e fautori.

4. Que', che rubbano beni di qualsisia sorte de' Cristiani, che han patito naufragio, anche se li medesimi beni si fossero trovati ne' lidi.

5. Que', che impongono nuovi pedagi, e gabelle, ò pure che l'accrescono.

6. Que', che falsificano lettere Apostoliche, ò suppliche segnate da chiunque ne hà l'autorità, e que' che fallamente pubblicano lettere Apostoliche.

7. Que', che portano arme, ed altre cose idonee all'uso della guerra à Turchi, ed altri nemici del nome Cristiano, e que', che partecipano à medesimi cose appartenenti alla Cristiana Republica in danno de' Cristiani.

8. Que', che impediscono coloro, che portano à Roma vettovaglie, ed altre cose necessarie.

9. Que', che coll'opera loro, ò d'altri offendono coloro, che vengono alla Sede Apostolica, ò ritornano dalla medesima, e que' che senza giurisdizione travagliano coloro, che dimorano in Curia.

10. Que', che offendono gli andanti in Roma, ed i Pellegrini, anco commoranti in Roma, ò che quindi ritornano.

11. Que', che offendono i Cardinali della S. Romana Chiesa, ed altri Prelati.

12. Que', che per se, ò per altri offendono coloro, che ricorrono alla Romana Curia, per li loro negozii.

13. Que', che appellano dal gravame, ò dalla futura esecuzione delle lettere Apostoliche alla laica potestà.

14. Que', che impediscono l'esecuzione delle lettere Apostoliche; ò d'altre spedizioni, e que', che prohibiscono l'andar à Roma ad impetrar grazie.

15. I Giudici Secolari, che traggono le persone Ecclesiastiche a suoi laici Tribunali: que', che tolgono la libertà Ecclesiastica, e la perturbano in qualche cosa.

16. Que', che impediscono i Prelati, che non si servano della loro Giurisdizione, e que' che sfuggendo i giudizii loro, e de' loro Delegati ricorrono alla Curia Secolare, o decretano contro quelli; e coloro, che à tali cose prestano ajuto.

17. Que', che usurpano la Giurisdizione Apostolica, e di qualsivoglia Chiesa, ò che ne sequestrano i frutti.

18. Que', che impongono decime, ed altri pesi alle persone Ecclesiastiche, alle Chiese, a' Monasterii, ò a' frutti de' medesimi.

19. I Giudici Secolari, che si interpongono nelle Cause Capitali, ò criminali contra le persone Ecclesiastiche.

20. Que', che occupano beni, ò Terre della Chiesa Romana, e que' che usurpano le giurisdizioni della medesima.

L'assoluzione de' sudetti casi è riserbata al solo Pontefice, e que', che presumono d'assolvergli, sono scommunicati. Debbano avere questa Tabella tutti li Confessori, Secolari, e Regolari.

*Altri Casi riserbati al Sommo Pontefice fuori della Bolla in Cœna Domini.*

1. La violazione della Clausura delle Monache à mal fine.
2. Que', che mettono violentemente le mani adosso a' Cherici.
3. La Simonia Reale scientemente contratta.
4. La Confidenza Beneficiale.
5. Que', che provocano, e fanno duello.
6. La Violazione dell'immunità Ecclesiastica intorno a que' che rifuggono alle Chiese.

# TABELLA

Delle Feste, di Precetto, Mobili, & Immobili di tutto l'anno, che debbono osservarsi, nella Diocesi di Monte Vergine, colle loro Vigilie.

*Appartiene al Cap. XVI.*

Tutte le Domeniche
Pasca di Resurrettione co i due giorni seguenti.
Ascenzione del Signore
Vigilia precedente al dì della Pentecoste
Pentecoste co' i due dì seguenti
SS. Corpo di Cristo

GENNAJO.

1. Circoncisione del Signore
6. Epifania del Signore

FEBRAJO

23. Vigilia
24. S. Mattia Apostolo

MARZO

19. S. Giuseppe
25. Annunciazione della Beatissima Vergine

MAGGIO

1. SS. Filippo, e Giacomo
3. Invenzione della Croce

GIUGNO

10. SS. Modestino, Fiorentino, e Flaviano Martiri.
13. Vigilia
24. S. Giovan Battista.
25. S. Guglielmo Abbate.

LUGLIO

24. Vigilia
25. S. Giacomo Apostolo
26. S. Anna Madre della Beatissima Vergine.

AGOSTO

4. S. Domenico Confessore
9. Vigilia
10. S. Lorenzo Martire
14. Vigilia
15. Assunzione della Beatissima Vergine
24. Vigilia
25. S. Bartolomeo Apostolo.

SETTEMBRE

8. Natività di nostra Signora
19. S. Gennaro V. e M.
20. Vigilia
21. S. Matteo Apostolo
29. Dedicazione di S. Michel'Arcangelo.

OTTOBRE

27. Vigilia
28. SS. Simeone, e Giuda Apostoli
31. Vigilia

NO-

NOVEMBRE
1. Tutti li Santi
29. Vigilia
30. S. Andrea Apostolo

DECEMBRE
8. Concezzione di nostra Sign.
20. Vigilia
21. S. Tommaso Apostolo
24. Vigilia
25. Natività di nostro Signore
26. S. Stefano Protomartire
27. S. Giovanni Apostolo, & Evangelista
28. SS. Innocenti Martiri
31. S. Silvestro Papa, e Confessore.

# TABELLA

*Feriarum Judicialium in Abbatiali Curia Montis Virginis servandarum præter dies Festos de Præcepto.*

## *FERIÆ JUDICIALES MOBILES.*

Dies Cinerum, cum duobus præcedentibus diebus.
Festum septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis.
Hebdomada major usque ad Dominicam in Albis.
Tres Dies Rogationum.
Dies anniversariæ Natalitiæ Serenissimorum nostrorum Regis, & Reginæ.
Tempus, quo durant Vindemiæ Ruris magni, vulgo Starsa, Laureti. Montis Virginis, prout moris est, de consensu tamen Partium.
Dies Anniversaria Electionis Illustrissimi, & Reverendissimi Patris Abbatis Generalis, & Ordinarii.

## *FERIÆ JUDICIALES IMMOBILES.*

*JANUARIUS*
15. S. Mauri Abbatis
17. S. Antonii Abbatis
25. Conversionis S. Pauli Apostoli.

*FEBRUARIUS*
2. Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
3. S. Blasii Episcopi, & Martyris
14. Sanctorum Modestini, & Sociorum
22. Cathedræ Sancti Petri Antiochiæ

*MARTIUS*
7. S. Thomæ de Aquino Ecclesiæ Doctoris

12.

12. S. Gregorii Magni, Papæ, & Ecclesiæ Doctoris.
18. S. Gabrielis Archangeli
21. S. Benedicti Abbatis, & Monachorum Patriarchæ

*APRILIS*

25. S. Marci Evangelistæ.
29. S. Petri Martyris

*MAJUS*

8. Apparitionis S. Michaelis Archangeli
26. Sancti Philippi Nerii Confessoris

*JUNIUS*

11. S. Barnabæ Apostoli
13. S. Antonii de Padua Conf.

*JULIUS*

2. Visitationis Beatæ Mariæ V.
16. Sanctæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo
22. Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

*AUGUSTUS*

5. Sanctæ Mariæ ad Nives
6. Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi.
7. Sancti Cajetani Confessoris
8. Sanctorum Cyriaci, & Sociorum.
16. Sancti Rochi Confessoris
28. Sancti Augustini Episcopi Ecclesiæ Doctoris

*SEPTEMBER*

4. Sanctæ Rosaliæ Virginis
14. Exaltationis Sanctæ Crucis

*OCTOBER*

2. Sanctorum Angelorum Custodum
4. Sancti Francisci Confessoris
5. Sanctorum Placidi, & sociorum Martyrum
18. Sancti Lucæ Evangelistæ.

*NOVEMBER.*

2. Commemorationis omnium Defunctorum.
11. Dedicationis Templi Montis Virginis Majoris.
13. Sanctorum omnium Monachorum Ordinis Sancti Patris Benedicti
21. Præsentationis Beatę Mariæ Virginis.
25. Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris.

*DECEMBER*

6. Sancti Nicolai Episcopi, & Confessoris.
13. Sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris.



IN-

# INSTRUZIONI

## PER LA CRESIMA

### Da pubblicarsi la Domenica antecedente il giorno, che sarà stabilito per la Sagra Funzione.

*Appartiene al Cap. V.*

IL Sacramento della Cresima è stato dal Signor Nostro Gesù Cristo istituito, acciocche coloro, i quali per lo Battesimo si sono fatti Cristiani (come, che ancora deboli nello spiritual cimento non possono virilmente combattere) col Sacramento della Cresima, col quale lo Spirito Santo s'infonde ne' cuori de' Fedeli, ricevono tanta virtù, (se non vi è altro, che ne impedisca gli effetti) che contra tutti gl'impeti della Carne, del Mondo, e del Demonio fatti più forti colla robustezza di nuova forza cominciano ad essere valorosi soldati di Christo, così gli Apostoli, che prima erano deboli, e timidi, e si stavano nel Cenacolo racchiusi, ricevuto, che hebbero lo Spirito Santo nel dì della Pentecoste, divennero huomini forti, e costanti, e pronti ad ogni combattimento per confessione, e propagatione della Fede. Però questo Sagramento Confermazione si appella, le cui virtù spiegando S. Ambrogio à Confermati *Repete* (disse) *quia recepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii, atque virtutis, spiritum cognitionis, & pietatis, spiritum sancti timoris, & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo*. Noi pertanto anziosi di provedere alla salvezza dell'anime, a noi commesse, abbiamo stabilito gli avvertimenti, che seguono.

Gli Arcipreti, Parochi, ò Rettori delle Chiese tengano pronto per presentarlo ad ogni nostra richiesta il Catalogo, in cui siano distintamente descritti i nomi, e cognomi de' Cresimandi da sette anni in sù, esistenti nella sua Parocchia.

2. I medesimi Arcipreti, Parochi, ò Rettori la prima Domenica antecedente la sagra Funzione, ò più prima, conforme il bisogno dell'instruzione richiegga, notifichino a' suoi Parochiani (*inter Missarum solemnia*) il giorno stabilito da Noi per l'ammi-

ministrazione di questo Sagramento, spieghino agli stessi la dignità, la forza, ed i buoni effetti del medesimo, ed eziandio i Significati delle sagre Ceremonie, che si praticano nel conferirsi; valendosi specialmente del Catechismo Romano parte 2. cap. 3. E finalmente intimino, che tanto i Cresimandi, quanto i futuri Padrini, ne' giorni, ch' eglino prescriveranno, convengano nella Chiesa Parocchiale, per essere più particolarmente istrutti, e per indagare rispettivamente da loro, se hanno i requisiti necessarii, e convenienti.

3. Posto, che taluno de' Cresimandi sia trattenuto in letto da qualche infermità, anderanno spesso à visitarlo, ed instruirlo, acciochè istrutto, se egli à suo tempo è sano, possa ricevere lo spiritual sussidio di questo Sagramento.

4. E perchè il Rituale Romano vieta d'imporre nel Battesimo nomi ridicoli, favolosi, ò de' falsi Dei degli empii Gentili; dovendo regolarmente esser di qualche santo mentovato nel Martirologio Romano; è permesso nell' atto della Cresima di mutarsi in tal caso il Nome. Per tanto il Paroco, ritrovando ne' Cresimandi sì fatti nomi, gli persuada a mutargli.

5. Chi una volta è stato cresimato, non può senza sagrilegio di nuovo cresimarsi, ed in caso di dubbiezza, ò sia, ò nò cresimato, il Paroco conferisca il fatto con Noi, per darvi l' opportuno provedimento.

6. Tanto il Cresimando, quanto il Padrino, e più questi, che quegli, dovranno sapere i principali articoli della nostra S. Fede, ed almeno il Pater, l'Ave, il Credo, i dieci Comandamenti, li Sagramenti della Chiesa, e sopra tutto espressamente i sacrosanti Misteri della Santissima Trinità, e dell' Incarnazione, ed intorno ad essi saranno esaminati da' Parochi, e Rettori; quei, che non gli sanno, saranno bene istrutti, e doppo ammessi; queiche non hanno capacità bastevole, saranno esclusi per quella prima, volta, e si prescriverà loro più lungo tempo, acciocchè con prolissa istruzzione si superi la loro incapacità, e si rendano pur una volta abili alla recezzione di questo Sagramento.

7. Debbono coloro, che hanno l' uso della ragione presentarsi al Sagramento della Cresima confessi, e communicati rispettivamente, e per agevolare la Confessione (bisognando) facciano i Parochi, ò Rettori, che nel tempo della Cresima stia un Confessore almeno esposto di continuo al Confessionale.

8. Sarà eziandio convenientissimo, che li Cresimandi si presentino digiuni, e perciò la funzione regolarmente si farà la mat-

K tina

tina, conforme la pratica di S. Carlo Cardinale Arcivescovo.

9. Tutti li Cresimandi tanto maschi, quanto femine si presentino à questo Sagramento in abito modesto, più proprio della Cristiana pietà, e col capo lavato, e mondo, e co' capelli remoti dalla fronte.

10. Niuno scommunicato, ò interdetto, ò pubblico peccatore può esser cresimato, ne' meno tenere altri alla Cresima.

11. Non può fare l'uffizio di Padrino, il Padre, e la Madre, il Patrigno, la Matrigna, il Fratello, la Sorella, e molto meno il Marito alla Moglie, ò questa à quello; è lecito però agli altri Parenti.

12. Il Padrino, che fù del Battesimo, non deve esserlo per la Cresima.

13. Chi non è cresimato, non può tenere altri alla Cresima.

14. Habbia ciascheduno Cresimando il suo Padrino, il Maschio un huomo, e la femina una Donna.

15. Siano li Padrini non minori dell'età d'anni sedici regolarmente, sempre però di maggior età del Cresimando, mentre, che il carico loro è d'istruire i cresimati nelle cose della Fede, e dello Spirito, e con buoni documenti drizzarli nella via delle virtù cristiane.

16. Niun tenga nel medesimo giorno più di due, ò trè persone.

17. Il Cresimando sarà sostenuto dal Padrino col braccio destro, e se fosse grande in maniera, che non potesse commodamente esser così retto, basterà, che egli tenga il suo piede destro, sopra il piede destro del Padrino.

Delle Sagri Congregazioni de' Vescovi, e del Concilio intorno a Cherici, che sono obbligati convenire al Sinodo.

*Sagra Congregazione de' Vescovi.*

GUbbio al Vescovo. E stato molte volte risoluto, che occorrendo agli Ordinarj di convocare tutto il Clero, per occasione di pubblicare i decreti del Sinodo Diocesano, e di correggere qualche abuso commune, o per altra causa, che necessariamente lo ricerca siano obbligati à comparire tutti, ancorche Cherici, ò Preti semplici, e non beneficiati, tutta volta, che nell'Editto se ne faccia espressa mentione. Lo significo a V. S. per ordine di questi miei Signori Eminentissimi, affinche in casi simili possa procedere contra gli inobedienti alle pene contenute nella Convocatoria, e Iddio la prosperi. Roma 12. Agosto 1650.

*Instante Domino Episcopo Eugubino. Die 15. Augusti 1650. Sagra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, omnes Sacerdotes, & Clericos teneri accedere ad Synodum Diœcesanam, si ut supponitur, in ea agendum sit de reformatione morum = Petrus Aloysius Card. Carafa Franciscus Paulutius Sac. Congreg. Concilii Secretarius.*

# INSTRUZIONE

Per la orazione mentale, giusta il Metodo di S. Francesco di Sales.

*Appartiene al Cap. XX.*

L'Orazione mentale hà trè parti: la Preparazione, il Corpo della Orazione, e la Conclusione.

*La Preparazione si fà con trè atti.*

1. Metterfi alla prefenza di Dio, penfando brevemente, che Dio ftà quì prefente, e vede, e poi adorarlo, humiliandofi profondamente innanzi à lui, e riconofcendofi indegno di ftar alla fua prefenza.

2. Dimandargli grazia di far bene l'orazione, implorando à questo effetto l'ajuto della Beatiffima Vergine, l'Angelo Cuftode, e de'Santi fuoi Avvocati.

3. Rapprefentarfi alla memoria il foggetto da meditare, e lo frutto, che fe ne vuol cavare.

*Il Corpo dell' Orazione si fà parimente con trè atti.*

1. Confiderare, e ponderare attentamente, ed adagio le confiderazioni lette prima nel libro, e qualfivoglia altra, che faccia à propofito del foggetto, che fi medita, effaminando bene le circoftanze; *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, & quando.*

2. Eccitarfi medianti dette confiderazioni à varii, e più affetti, come di deteftazione, e pentimento de'peccati commeffi, di ammirazione della bontà di Dio, che ci habbia tanto tempo fopportati nelle noftre iniquità, di defiderio d'emendarfi, e mutar vita, d'amor di Dio, di ringraziamento de beneficii ricevuti &c.

3. Fare fermi proponimenti, e rifoluzioni, di voler lafciare tutti i peccati, e particolarmente un tale, ed un tale alli quali la perfona fi conofce più inclinata, ed adoperare per quefti tali, e tali remedii, di praticare li tali, e tali atti di virtù, e di divozione.

*La Conclufione si fà pure con trè atti.*

1. Ringraziare Iddio de'buoni penfieri, e rifoluzioni, che ci hà date nell'orazione.

2. Offerirgli le rifoluzioni, che fi fono fatte in unione de meriti di Crifto Signor noftro.

3. Dimandargli grazia di mettere in pratica, implorando di nuovo à quefto fine l'interceffione della Beatiffima Vergine, dell'Angelo Cuftode, e de'Santi Avvocati.

# IMPEDIMENTI DEL MATRIMONIO,

## Che debbono pubblicarsi da' Parrochi ogn'anno nella Domenica dopo l'Epifania.

*Appartiene al Cap. X.*

GL' impedimenti del Matrimonio secondo i Sagri Canoni, e giusta i Decreti del Sagro Concilio di Trento sono di due sorti. Altri prohibiscono solamente, che si celibri il matrimonio mà celebrandosi, non l'annullano. Altri e proibiscono il celebrarsi, e celebrato anco solennemente, lo rendono invalido. I primi impedimenti in numero di cinque sono compresi in que' versi.

*Ecclesiæ vetitum: nec non tempus feriarum,*
*Atque Catechismus; Sponsalia: jungito Votum;*
*Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.*

che così si spiegano cioè

*Ecclesiæ Vetitum*

Questo è l'ordine, ò decreto del Giudice Ecclesiastico, che per qualche motivo, ò generalmente (come in questa Diocesi) quando dopo gli Sponsali sia seguita pratica frà gli Sposi, ò quando le Nozze non si sollennizzano la mattina, ò quando gli Sposi non siano innanzi confessati, e communicati; proibisce, che da Parrochi si assista à simili matrimonii, ò pure particolarmente, quando inibisce, che dal tale si celebri il matrimonio colla tale.

*Tempus Feriarum.*

Il secondo è la proibitione della Chiesa, che vieta le Nozze senza la licenza del Ordinario della prima Domenica dell'Avvento fino all'Epifania; e dal Mercoledì delle Ceneri fino all'ottava di Pasqua inclusivè.

*Catechismus*

Il terzo era anticamente la parentela spirituale, che nasceva dalla Instruzione, che innanzi al Battesimo faceasi al Battizando intorno alle cose della Fede Cattolica, ma tale impedimento fù tolto dal citato Concilio Tridentino. Sù questa parola però *Catechismo* si può ora intendere l'impedimento, che provviene, ò dal Parroco, se trascura egli di esaminare antecedentemente gli Sposi sopra gli articoli principali della nostra S. Fede, ò dagli Sposi se questi ne fossero ignoranti; poiche in tal caso, nè gli Sposi pon-

no

no lecitàmente congiugnersi, ne i Parrochi assistere al loro Matrimonio.

*Sponsalia.*

Il quarto sono gli Sponsali *de futuro*, ò come communemente dicesi, la parola data di Matrimonio, ò i Capitoli, e se prima questi di commune consenso, ò per sentenza del Giudice non si sciolgano, non può lecitamente contrarsi *de præsenti*, ne dalla Donna con altro Vomo, ne dall'Vomo con altra Donna.

*Votum.*

Il quinto è il voto semplice, cioè la promessa privatamente fatta à Dio di osservar Castità, ò di prendere gli ordini Sagri, ò di entrare in Religione. Questo voto semplice impedisce solamente il Matrimonio da farsi; à differenza del sollenne, che annulla il fatto, come si dirà appresso.

I secondi impedimenti del Matrimonio (che come abbiamo detto, ed impediscono il contrarsi, ed annullano il contratto) in numero di quattordici, sono inchiusi in quegli altri versi;

*Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,*
*Cultus Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.*
*Si sis Affinis, si fortè coire nequibis,*
*Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,*
*RaptaVe sit mulier, nec parti reddita tutæ.*
*Hæc facienda Vetant Connubia, facta retractant.*

E questi vengono così spiegati, cioè

*Error.*

Il primo impedimento è l'Errore circa la sostanza della persona, cioè se uno intende di far parentela con Berta, e la fà con Antonia; overo intende di far parentado con la primogenita, e gli vien data un'altra, in tutti questi casi, e simili, il Matrimonio è nullo. Mà se l'errore fosse circa la qualità della persona, come à dire, che credeva fusse bella, e ricca, mà il fatto non stà così, il Matrimonio, è valido.

*Conditio.*

Il secondo è la condizione, cioè servile; come à dire, se uno si apparenta con una Schiava, che credea esser libera, essendo egli libero, il Matrimonio non tiene il medesimo, è se la Donna libera piglia un Schiavo, lo che se sapesse, no'l farebbe.

*Votum.*

Il terzo impedimento è il voto sollenne, fatto per professione espressa, ò tacita in una Religione approvata, ò nel pigliar gli Ordini Sagri,

Co-

*Cognatio.*

Il quarto impedimento è la parentela, la quale è in trè modi, cioè Naturale, Spirituale, e Legale: La Naturale toglie, ed impediſce il matrimonio inſino al quarto grado incluſive, e chi fà il matrimonio con tale impedimento, è ſcommunicato, ſe l'ignoranza non lo ſcuſa. La parentela ſpirituale ſi piglia dal Sagramento del Batteſimo, e della Confirmazione, e queſta impediſce, ed annulla il matrimonio ſolamente trà colui, che battezza, e quello che tiene nel batteſimo, ò nella creſima, e colui, che è battezzato, ò creſimato: e ſimilmente tra quello, che battezza, ò creſima, ed il Padre, e la Madre del battezzato, ò creſimato. La parentela legale è una propinquità, che naſce dall'addozione, e queſta hà trè gradi: Il primo degli aſcendenti, e diſcendenti, cioè dell'addottante, e dell'addottato, e diſcendenti dell'addottato, e queſto impedimento non ſi toglie per isleganiento dell'addozione, nè per l'emancipazione. Il ſecondo è quaſi traſverſale, cioè fra l'adottato, ed i figlivoli naturali dell'addottante, durante l'addozione, e ſtante il figliuolo naturale nella poteſtà del Padre, e non altrimente. Il terzo grado è una certa affinità legale, cioè trà la Moglie dell'adottato, e l'addottante, e tra l'addottato, e la Moglie dell'addottante, la quale dura perpetuamente, come la prima, e ciaſcheduna di queſte parentele impediſce, & annulla il matrimonio.

*Crimen.*

Il quinto impedimento è il delitto, e queſto è di due ſorti. Il primo è ſe uno ammazza il marito, con intenzione di contrarre matrimonio con la moglie di lui, il quale omicidio fatto con conſenſo di ambe le parti, impediſce, & annulla per ſempre; come impediſce, ed annulla ancora il matrimonio, ſe un ſolo de' Conſorti machina la morte dell'altro, purche v'intervenga l'adulterio, che altrimente non impedirebbe; l'altro impedimento è l'adulterare ſcientemente con la moglie d'altri, e contrarre con eſſa matrimonio, vivente l'altro Conſorte, overo promettere di contrarre; il che impediſce, ed annulla, ancorche il matrimonio non fuſſe ancora conſumato.

*Cultus diſparitas.*

Il ſeſto impedimento è la diverſità della religione, perche trà il battezzato, e quello, che non hà il Batteſimo, non può eſſer Matrimonio; non potendo riceverſi Sacramento alcuno ſenza il Batteſimo. Ma può eſſer Matrimonio con i battezzati, benche fuſſero Eretici, Scommunicati, ò Apoſtati; eſſendo il Matrimonio valido, benche ſi faccia male à contrarre con eſſi.

Vis.

*Vis.*

Il settimo impedimento è la forza, overo violenza, quando alcuno è forzato, ò violentato à contrarre Matrimonio, volendo la S. Chiesa, e la ragion naturale, che li Matrimonii siano liberi.

*Ordo.*

L'ottavo impedimento è l'Ordine Sagro, e se alcuno avendo l'Ordine Sagro, contraesse, fà nullo il Matrimonio, e resta scommunicato.

*Ligamen.*

Il nono impedimento, è quando alcuna persona hà moglie, ò marito, perche non può contrarre altro Matrimonio.

*Honestas.*

Il decimo impedimento è la Giustizia della pubblica honestà, la quale hà principio dalli Sponsali; cioè quando si promette, doversi in futuro pigliare per marito, ò per moglie, e questo impedimento consiste in una proibitione canonica, la quale annulla (se gli sponsali sono validi) il Matrimonio che l'uno, ò l'una di detti promettenti contraesse con qualche parente, nel primo grado dell'altro, ò dell'altra.

*Si sis Affinis.*

L'undecimo impedimento è l'affinità, la quale è senza parentado, ed è solamente un'approssimazione di persona à persona, cagionata dalla perfetta copula carnale fra l'Uomo, e la Donna. Quest'affinità, se proviene da Copula lecita impedisce inclusivè sino al quarto grado: per esempio: Tizio che hà per moglie Berta si approssima, e si rende Affine à consanguinei in 1. 2. 3. e 4. grado di Berta, e Berta si approssima, e si rende Affine a consanguinei in 1. 2. 3. e 4. grado di Tizio: senza che in vetun grado si approssimano, ò si facciano Affini i Consanguinei di Tizio à consanguinei di Berta: se poi la Copula è illecita, alla sudetta maniera impedisce solamente fino al secondo grado anche inclusivè.

*Si fortè coire nequibis.*

Il duodecimo impedimento è la impotenza di poter consumare il matrimonio, ò che proceda da cagione naturale, ò da accidentale, purche sia perpetua.

*Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.*

Il decimo terzo impedimento è, quando si celebrasse il matrimonio senza la presenza del proprio Paroco, e di due testimonii.

*Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ*

Il decimoquarto impedimento, è quando alcuno rubbasse una Donna, e se, mentre stà in sua potestà, contraesse con quella de

*facto*

*facto Matrimonio*, il matrimonio è nullo. Mà se prima la ponesse separata da se in luogo sicuro, e libero, e quella lo volesse per suo Marito, il matrimonio sarebbe valido.

In oltre il difetto dell'età di quattordici anni compiti nell'Vomo, e di dodici anni parimente compiti nella Donna, impedisce, ed annulla il Matrimonio, se la malizia, ò la prudēza da giudicarsi dall' Ordinario non supplisce à detto difetto.

Ogni qual volta dunque si faranno nella Chiesa le dinunzie, ò siano le pubblicazioni per qualche Matrimonio da contrarsi: se alcuno, ò huomo, ò Donna, che sia, aurà notizia, che frà gli sposi vi sia, ò certezza, o suspetto di qualche uno de' sudetti impedimenti, anche se susse noto à lui solo, sappia, che sotto peccato mortale è obbligato rivelarlo al Paroco, ò alla Curia Ecclesiastica, per evitare nelli sposi medesimi il pericolo, ò dell'invalidità del Sagramento, ò almeno dell'illecita celebrazione del Matrimonio.

## PROPOSITIONES DAMNATÆ

### Ab Alexandro VII. Pontifice Maximo, Feria V. die 24. Septembris anno 1665.

#### *Appartiene al Cap. VII.*

1. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas Virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est anno 1629. 18. Iulii in Consistorio Sagræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, & proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est. Si sollicitatus confiteatur, cum solicitante, hic potest ipsum absolvere, absque onere denunciandi.

8. Duplica ũ stipendiũ potest Sacerdos pro eadẽ Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani octavi.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam, est contra fidelitatem, etiam si promittant promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offerant.

11. Peccata in confessione omissa, seù oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato,

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium, simplicem Sacerdotem, non approbatum ab ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris delicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, etiam Judicem a quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis: eo quod sit pœna.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro Collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subiicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus Iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à sede apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

*Sequuntur Propositiones Damnatæ ab eodem Alexandro VII. fer. V. die 18. Martii anno MDCLXVI.*

29. IN die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in fine comederit non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certiorare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè à precepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, ut cumque iter agant, etiamsi iter necessari-

sum non sit, & etiam si iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova,& lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuū ob omissionem horarum, suppleri potest per quascumque eleemosinas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit prçcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non prçceptum.

39. Illa particula, *quamprimùm* intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hec nimis utilis est ad oblectamentum concubinarii vulgò *regalo*, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliç epulæ tędio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquā per decem annos.

44. Quò ad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis idem sanctissimus statuit, decrevit, ac prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, & minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita, ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè, aut privatum tractaverit, nisi forsan impugnan-

do

do, ipso facto incidat in excommunicationem, à quâ non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, aut status etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

## PROPOSITIONES DAMNATÆ

*Ab Innocent. XI. summo Pont. feria V. die 11. Martii 1679.*

1. NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate sivè intrinseca, sivè extrinseca quantumvis tenui modo à probabilitatis finibus non exeatur confici aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectù veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actù interno, & formali

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, & in Regibus superfluum statui

ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando teneatur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, poteſt abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt Filio gaudere de Patricidio parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccamiñoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum, ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immo cum formidine, quâ quis formidet ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria medii, non autem explicata Remuneratoris.

23. Fides latè dicta eſt ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè modo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi, ſivè res ſit levis, ſivè gravis.

26. Si quis vel ſolus, vel coràm aliis ſivè interrogatus, ſivè propria ſponte, ſivè recreationis cauſa, ſivè quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab eo, in qua fecit, vel quodvis aliud additũ verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſtâ utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſ-

cessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum ità ut veritatis occultatio, censeatur, tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa, Sacramentorum ad ministrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si alitèr hæc ignominia vitari nequit; Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percuciat, & post impactam alapam; vel ictum fustis, fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actù possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est, tam heredi, quam legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se tal ter defendere, sicut, & jus habenti in Cathedram, uel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum, ante animationem fętus, nè puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, Omnem fœtum, quamdiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum parit, ac consequentur dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ, possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectù ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis previè initio cum intentione lucri.

41.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquā ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis cōmunicantes, mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involuere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquādo obligatoria sub mortali.

50. Copula, cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoq; sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissus humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52

52. Præceptum servandi festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio, & communio etiam in his, qui gentiliter vivunt est nota prædestinationis.

57. Probabilè est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.

58. Non tenetur Confessario interroganti, fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis V.G. potest contigere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Penitenti habenti consuetudinem peccandi, contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugienda occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis ~~capax est homo, quantumvis~~ laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimę Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesù Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de ejs disputativè publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latę sententiæ, à quâ non possit (præter quam in articulo mortis) ab aliocumque etiam dignitate fulgente, nisi à prò tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

*Propositiones Damnatæ ab Alexandro PP. VIII. fer. V. die 8. Decembris MDCXC.*

1. IN statù naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ea ipsa, non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesû Christo influxum; adeoque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sinè omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proindè meritò possimus petere; à gratia sufficienti libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi, si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8. Necesse est, Infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectû.

10. Intentio, quâ quis detestatur malum, & persequitur bonum merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videatur credere, non est fides divina sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitû Deo famuletur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitû licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennę, & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus metus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praximmox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustinet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usù, sed abusù

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones, apud Religiosos factæ, plæreque, vel sacrilegæ sunt, vel in validę.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seù satisfactione, ob quæstum, seù lucrum subsidii temporalis.

22. Sagrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint,

23. Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templum, quæ fiebat à B. Virgine Maria in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum; unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quod intiguerit purificatione, & quod filius qui offerebatur etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris &c. præmissis illis, Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.

29. Futilis, & toties convulsa fuit assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. In eminenti, est subreptitia.

*Propositiones Damnatæ ab eodem Alexandro VIII. fer. V. die 24. Augusti.*

1. BOnitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis verò in conformitate actus in Regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ suæ Moralis.

2. Peccatum Philosophicum, seù morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat est grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiā Dei, neq; æterna pœna dignum.

## Vigiliæ B. Mariæ Virginis Constantinopolitanæ, aliàs de Monte Virgineo.

*Quæ à Religiosis Congregationis Benedictinæ Montis Virginis, qualibet feria sexta post Completorium, ante ejus Sacratissimam Imaginem cantantur; & ab aliis devotis personis, & ab iis qui Spirituali filiatione dictæ Congregationis gaudent, privatim recitantur.*

*Antiph.* Benedicta tu &c.

*Psalmus.*

DOmine Dominus noster* quā admirabile est nomen tuū in universa terra!

Quoniam elevata est magnificētia tua* super Cœlos.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos* ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo Cœlos tuos, opera digitorum tuorum* lunam, & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo quod memor es ejus* aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eū paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum * & constituisti eum

super

super opera manuum tuarum.
Omnia subjecisti sub pedibus ejus * oves, & boves universas, insuper,& pecora campi.
Volucres cœli, & pisces maris * qui perambulāt semitas maris
Domine Dominus noster* quàm admirabile est nomen tuum in universa terra.
Gloria Patri &c.
*Ant.* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vētris tui.
*Ant.* Sicut myrrha &c.

*Psalmus.*

Cœli enarrant gloriam Dei*& opera manuum ejus annuntiat firmamentum.
Dies diei eructat verbum* & nox nocti indicat scientiam.
Non sunt loquelę,neque sermones* quorum non audiantur voces eorum.
In omnem terram exivit sonus eorum * & in fines orbis terrę verba eorum.
In sole posuit tabernaculum suum* & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.
Exultavit ut gigas ad currendam viam * à summo cœlo egressio ejus.
Et occursus ejus usque ad summum ejus* nec est qui se abscondat à calore ejus.
Lex Domini immaculata convertens animas*testimonium Domini fidele sapientiam præstās parvulis.
Justitiæ Domini rectę, lętificantes corda * præceptum Domini lucidum illuminans oculos.
Timor Domini Sāctus, permanēs in sęculum sęculi,* judicia Domini vera justificata in semet ipsa.
Desiderabilia super aurum,& lapidem pretiosum multum * & dulciorā super mel,& favum.
Etenim servus tuus custodit ea* in custodiendis illis retributio multa.
Delicta quis intelligit?ab occultis meis munda me*& ab alienis parce servo tuo.
Si mei non fuerint dominati,tūc immaculatus ero * & emundabor à delicto maximo.
Et erunt,ut complaceāt eloquia oris mei* & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
Domine adjutor meus * & Redemptor meus. Gloria &c.
*Ant.* Sicut mirrha electa odorē dedisti suavitatis Sancta Dei Genitrix.
*Ant.* Post partum.

*Psalmus.*

Domini est terra,& plenitudo ejus*orbis terrarum,& universi, qui habitant in eo.
Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum.
Quis ascendet in montem Domini?*aut quis stabit in loco sancto ejus?
Innocens manibus,& mūdo corde*; qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.
Hic accipiet benedictionem à Domino * & misericordiam à

Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum* quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portę eternales* & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex glorię?* Dominus fortis, & potens. Dominus potens in prelio.

Attollite portas principes vestras,& elevamini portę Æternales* & introibit Rex glorię.

Quis est iste Rex glorię? Dominus virtutum ipse est Rex glorię.

Gloria Patri &c.

*Ant.* Post partum Virgo inviolata permansisti. Dei Genitrix intercede pro nobis.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Pater noster &c.

*Absolutio.*

PRæcibus, & meritis B.M. semper Virginis, & omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna Cœlorum. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

*Lectio I.*

O Beata Maria, Regis ęterni Domini nostri Jesu Christi vera Genitrix, & Virgo perpetua. Esto pro nobis apud eundem dilectissimum Filium tuum, & clementissimum Dominum nostrum oratrix assidua, ut per ipsum Solem justitię, & splendorem paternę glorię, quem nobis illuxisse credimus, & credentes gloriamur, per te a peccatorum tenebris liberati, in regnum claritatis ęternè transferri mereamur. Tu autem Domine miserere nobis.

℟. Deo Gratias.

℣. Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferā nescio.

℟. Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

℟. Quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Ipsa Virgo Virginum intercedat pro nobis ad Dominum.

℟ Amen.

*Lectio II.*

O Beata Dei Genitrix Maria Virgo perpetua. Templum Dei vivi, aula regis æterni. Tu Virgo de radice Jesse, Tu Cedrus in Libano, Tù Cipressus in Monte Sion, Tù oliva speciosa in campis David, Tù Rosa purpurea in hierico. Quæ singulari privilegio meritorum, sicut in hominibus nescis comparem ita, & angelicam superas dignitatem. Cui novo, & inaudito miraculo datum est, ut Verbum, quod ante sæcula Deus genuit fieret filius tuus, & homo, quem tu in fine sæculi genuisti verus, atque perfectus esset filius

lius Dei. Geminæ quide[illegible] a persona, Deus, & Homo, unus Emanuel. Tu autem Domine miserere nobis.
℟. Deo gratias.
℣. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi
℟. Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.
℣. Ave Maria, gratia plena Dominus tecum.
℟. Genuisti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.
℟. Jube domne benedicere.
*Benedictio.* Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem, & pacem. ℟. Amen.

*Lectio III.*

O Quàm Felix, & gloriosa, omniumque fidelium corde amplectenda, & ore laudanda est Virgo Maria, ex qua habitantibus in umbræ mortis regione sol ortus est justitiæ, cujus luminis claritate peccatorum effugantur tenebræ. Hæc est Virgo singularis, hæc est Mater specialis, hæc est clara Stella maris, hæc est salutis cunctorum portus ad se confugientium, hæc gravia expiat piacula. (*hic genuflectitur usque ad finem*) Te Reginam veneramur, Te Dominam confitemur, ad te Virgo suspiramus. Te venerantes refove, Te deprecantes protege. Sis adjutrix assidua his, qui sub tua confugiunt præsidia. Præbe lumen peregrinis in hujus mundi tenebris, ut ad cœlestis claritatis patriam, (te ducente) valeamus pervenire. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.
℣. Felix namque es Sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima.
℟. Quia ex te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster.
℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam commemorationem. ℟. Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. ℟. Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster.

*Hymnus Beatæ Virginis.*

TE Matrem Dei laudamus. Te Mariam Virginẽ confitemur.
Te æterni Patris Sponsam, omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, tibi omnes Principatus humiliter serviũt.
Tibi omnes virtutes, & supernæ potestates.
Tibi Cœlorum, universæ dominationes obediunt.
Tibi omnes Throni, Cherubim, & Seraphim exultantes assistũt.
Tibi cuncta Angelica creatura delectabili voce proclamant.
Sancta, Sancta, Sancta Maria, Dei Mater, & Virgo.
Pleni sunt Cœli, & terra Majestatis gloria fructus vẽtris tui.

Te

Te gloriosus Apostolorum Chorus, Matrē Creatoris collaudat.
Te laudabilis numerus Prophetarum, Virginem Deum parituram prædixerat.
Te universus Cœtus Beatorum, Christi, & totius Trinitatis tēplum nominat.
Te amabilis chorea Virginum Sanctarum; tuæ humilitatis exemplum prędicat.
Te tota cœlestis curia, Cœlorum Reginam honorat.
Te per universum mundum invocandam, Ecclesia sancta concelebrat.
Matrem divinę Majestatis.
Venerandam te veram Regis cœlestis puerperam.
Sanctam quoque dulcem, & piā.
Tù Angelorum Domina
Tù Paradisi janua
Tù scala regni cœlestis.
Tù Regis gloriæ thalamus.
Tù arca Pietatis.
Tù vena misericordiæ.
Tù refugium peccatorum
Tù es Mater Salvatoris
Tù ad liberādum culpabilem hominem, Filium Dei suscepisti in utero.
Per te expugnatio hoste antiquo, sunt aperta fidelibus Regna Cœlorum.
Tù cum Filio tuo sedes in gloria Patris.
Tù illum pro nobis roga, ò Domina, qui nos est ad judicādum venturus.

*Hic genuflectitur usque ad redempti*

Te ergo poscimus, nobis tuis famulis subveni, qui pretioso sāguine Filii tui redempti sumus.
Æterna fac pia Virgo Maria, cum servis tuis gloria præmiari.
Salva Nos populū servorum tuorum, ò Domina, ut simus participes hæreditatis tuæ.
Et rege nos, & extolle nos usque in æternum.
Per singulos dies ò Domina te salutamus.
Et laudare te cupimus in æternū devota mente, & voce
Dignare dulcis Maria nunc, & sēper sine peccatis nos custodire
Miserere nobis pia, miserere nobis.
Fiat Domina misericordia tua super nos, quia in te Maria confidimus.
In te dulcis Maria speramus, ut nos defendas in æternum.
Benedicat, & custodiat nos Omnipotens, & misericors Dominus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.
*Ant.* Salve Regina, &c.
*Ant.* Sub tuum præsidium, & cæt.
℣. Benedicta tù in mulieribus.
℟. Et benedictus fructus vētris tui.

ORATIO.

Beatæ, & Gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, quæsumus Domine, intercessio gloriosa nos protegat, & ad vitam perducat æternam. Per Dominum &c.

PRO

Pro SS. P. Guglielmo Abbate Fundatore Montis Virginis, & ejusdem Diœcesis Patrono.

*Antiph.* Heros Insubriæ, Hospes Iberniæ, Ausoniæ Sydus. Trinacriç columen, decor Espini, Guleti conditor, signorum Opifex, Eremi legifer, Guilielme da nunc famulis tuis in stadio bravium accipere.

℣. Exultabit Solitudo.
℟. Et florebit quasi lilium.

ORÉMUS.

DOmine Jesu, qui Beatissimo Patri Guilielmo Confessori tuo multiplici apparitione Candidatam familiam ad Virginis Matris tuæ cultum informare jussisti: da quæsumus, ut nos de mundi cęno emersi angelicis ejus excitati exemplis, ac muniti præcious, puritatis signaculum consequamur. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre &c.

---

Pro SS. MM. Modestino, Florentino, & Flaviano Mercurianensium, & finitimarum Gentium Apostolis.

*Antiph.* Vineam hanc Vepribus divulsis, Vos Sancti Dei plantastis: Regionem istam, protritis Idolis, vestris vestigiis, & exuviis sanctificastis; ideo cum Christo exultate sine fine.

℣. Hæc requies nostra in sęculum sæculi.
℟. Hic habitabimus, quoniam elegimus eam.

OREMUS.

POpulum hunc quæsumus Domine meritis, & intercessionibus Sanctorum Martyrum tuorum Modestini, Florentini, & Flaviani benigno favore prosequere, quorum doctrina, & prædicatione de tenebris ad lucem tuą ope ipsum transferre dignatus es. Per Dominum &c.

Pro

## Pro S. Gallo Abbate, præsentis Synodi Auspicatore, & Tutelare.

*Antiph.* Gallus natalibus regiis, virtute dives, sapientia clarus, mirabilisque insignis, Helvetiis Evangelizans, meritò legatus Dei est appellatus.

℣. In gutture tuo sit tuba.
℟. Pro eo quod prævaricati sunt legem meam.

### OREMUS.

PErfice quæsumus Domine benignus in Nobis observantiæ Sanctæ subsidium, ut quæ exemplo, & Auspiciis Beati Galli Abbatis erudíti facienda cognovimus, eodem apud te intercedente, tua gratia adjuti adimplere valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

FINIS.